

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Hieronymi Kromayeri ... Theologia Positivo-Polemica

In qua Controversiae Lutheranis cum Pontificiis, Calvinianis, Remonstr. Socin. Anabapt. Weigel, Judaeis ... inseruntur. Cui praefixa est Diaskepsis Articulorum fidei fundamentalium generalis, & cuilibet loco specialis, sedes in ordine analytico, & libris Ecclesiarum nostrarum Symbolicis, una cum ...

In qua Articuli Fidei nervosè ac perspicuè proponuntur, succus singulorum in succinctos Aphorismos contrahitur, deducitur ... resolvitur; Opus Posthumum

Kromayer, Hieronymus

Francofurti Ad Moenum, 1683

Locus II. De deo

[urn:nbn:de:bsz:31-142812](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-142812)

Locus II.

De

DEO.

Postquam principium, ex quo *θεογονία* salutaris haurienda est, vidimus, jam ad principium essendi, quod est *αὐτὸν* i.e. per se existens & omnib. creatis dans essentiam, accedimus.

§. 2. Licet hoc ipsum sit infinitum & ἀκατάληπτον, ut perfectè à nobis definiri nequeat, & apprehensivè tantum, non comprehensivè à nobis cognoscatur, ex principio dicto tamen aliquo modo describi potest hunc in modum: *Definitio.* DEUS est essentia spiritualis, intelligens, aeterna, alia à creaturis omnibus, verax, bona, iusta, casta, misericors, benefica, liberrima, immensa sapientia & potentia, irascens peccatis, Pater aeternus, qui Filium imaginem suam ab aeterno genuit, & Filius imago Patris coeterna, & Spiritus S. à Patre & Filio ab aeterno procedens, sicut patefacta est divinitas certo verbo & testimoniis divinis, quòd Pater aeternus cum Filio & Spiritu S. condiderit, & praesens regat atq. conservat cælum & terrani, & omnes creaturas, & adsit omnibus creaturis quoad conservationem, & sibi colligat in genere humano Ecclesiam propter Filium & per eum, & sit iudex justorum & injustorum. Alii partem ultimam definitionis de operibus ad extra verbis aliis exprimunt, & brevius quidem, ut definitio memorià facilius reti-

neri queat. Post verba enim, quòd *Pater aeternus* filium ad imaginem suam genuerit, & *Filius* imago Patris coeterna sit, & *Spiritus S.* à Patre & Filio ab aeterno procedat, hæc ponunt verba: *Creator & Conservator rerum omnium, Redemptor, & sanctificator Ecclesia, unus verus DEUS, benedictus in secula.* Brevissimè describi potest, quòd *DEUS* sit *Jehovah Elohim, unus in essentia & trinus in personis.*

§. 3. *Definitum* est DEUS, quod vocabulum origine Græcum, quibusdam à verbo *θεάομαι* i.e. video, contempler, quibusdam à verbo *θέω* i.e. moveo, quibusdam à nomine *δέος* i.e. metus derivatur. Qui derivant à verbo *θεάομαι* i.e. contempler, rationem reddunt, quòd DEUS videat omnia tum sacris literis, tum scriptoribus profanis in unam harmoniam hîc concinentibus. Πάντα γυμνά καὶ τετραχλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ i.e. omnia nuda & resupinata sunt oculis ipsius, ut Autor epistolæ ad Hebræos c. 4. v. 13. dicit. Ubi vocabulū em; haticū τετραχλισμένα notetur, quod à vicimis resupinatis, quādo exenterantur & viscera ipsorum inspicuntur, vel ab animalibus resupinatis, quorum genitalia naturā recta tunc evidentius patet, desumptum videtur. *Hesiodus* verò canit *ὡς ἐργῶν καὶ ἡμερῶν* Πάντα

Πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμοὺς καὶ πάντα νοήσας.

i.e. *Jovis oculus omnia videt, & omnia intelligit.*

Homerus in βατταχομνομαχία: Ἐχει θεὸς ἑκάδικον ὄμμα i.e. cernit DEUS omnia vindex. Qui derivant à verbo δέω i.e. moveo, rationem etymologiae suppetant, quòd DEUS (secundum Aristotelem primus motor) omnia moveat. Qui deducit à nomine θεός i.e. merus, rationem reddūt, quòd merus fecerit DEOS. Quia verò in etymologia & convenientia literarum & significationis attendenda venit, priorem, cum vocabulum DEI à verbo θεάομαι deducitur, quoad utrumq; convenientior em, reliquis præferimus.

§. 4. *Homonymia.* Vocabulum DEI est ἐκ τῶν πολλαχῶς καὶ ποσάχως λεγομένων, ut ipse fateatur Apostolus 1. Cor. 8. v. 5. & 6. *Etiamsi sint, qui dicantur Dii sive in cælo. sive in terra (quemadmodum sunt Dii multi & Domini multi) nobis tamen unus est DEUS, qui est Pater ille, ex quo sunt omnia & nos in illum: & unus Dominus IESUS Christus, per quem omnia, & nos per illum.* Vel itaque vocabulum DEI supponit pro vero DEO, quem Paulus τῇ φύσει θεὸν vocat Gal. 4. v. 8. vel pro Diis nuncupatiis (λεγομένοις ut citato loco 1. Cor. 8. v. 5. eosdem nuncupat Apostolus. Per DEOS in cælo intelligit Angelos, qui sic vocantur Ps. 8. v. 5. sensum monstrante Apostolo ad Hebr. 2. v. 7. 9. Per Angelos in terris Magistratum imprimis, qui DEI vices in terris sustinet, ut Ps. 82. v. 1. DEUS stat in medio Deorum, & iudex est inter DEOS. Item v. 7. & 8. *Dixi, vos Dii estis, sed ut homines moriemini.* Imò DEI nomine venit omne id, in quo fiduciam collocamus, vel cuius cu- v. d. Bicher. in st. Cat. p. 269.

ram gerimus, utpote cum Apostolus inquit ad Phil. 3. v. 19. *quorum* (inimicorum Christi) DEUS venter est. Quam ob causam *avarus* vocatur *idolorum cultor* Eph. 5. v. 5. Imò propter cultum impiorum Diabolo nomen hoc per cataphrasin quandam tribuitur, 2. Cor. 4. v. 4. DEUS huius seculi excæcavit sensus incredulorum.

§. 5. Descriptio ipsa constat genere & differentia, vel eo, quod differentia loco ponitur & definitum ab omnibus aliis rebus differre facit.

§. 6. *Generis loco* ponitur essentia spiritalis, quod partim ex c. 3. Ex. v. 14. partim ex c. 7. v. 24. desumptum. Quæritus DEUS à Mose de nomine suo dicit nomē suum esse: *אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה* i.e. *Ero, qui ero*, Lutherus: *Ich bin/der ich bin.* Et statim eodem versu: *Sic dices ad filios Israël, אֶהְיֶה* i.e. *Sum, vel ero misit me ad vos.* Ab hac radice nomen DEI proprium *יְהוָה* deducitur, quod essentiatorem significat, quia denotat eum, qui essentiam habet à seipso & creaturis omnibus largitur essentiam. Scaliger *αὐταυτὸν*, Franciscus ad futurum, quod habetur v. 14. c. 3. Exodi respiciens reddidit: *Eriturum.* Joh. c. 4. v. 24. *Salvator* inquit ad Samaritanam: *Πνεῦμα ὁ Θεὸς* i.e. DEUS est Spiritus, & qui adorant eum, in Spiritu ac veritate adorare oportet. Quæ propositio est inordinata, prædicatum primo, subiectum ultimo loco ponens, id quod partim ex articulo præpositivo, partim ex latitudine prædicati patet. Angeli siquidem πνεύματα λειτουργικά i.e. *Spiritus administratorii* Hebr. 1. v. ult. anima nostra πνεῦμα i.e. *Spiritus* Luca 23. v. 46. ventus πνεῦμα i.e. *Spiritus* Joh. 3. v. 8. nuncupatur. Lutherus in versione sua terminos hos suo loco restituit vertens: *Θεὸς ἐστὶν*

E

cin

etn Geist. Ubi tamen notetur, DEO genus *ουανυμων* tribui nullum posse. Cum enim DEUS essentia spiritualis, vel Spiritus dicitur, ineffabili modo transcendit creaturas illas, quibus etiam hoc nomen attribuitur. Omnes quippe substantiæ creatæ ad hoc Ens entium velut accidentia, imò purum putum nihil se habent. Unde verba hæc, quæ ad differentiam genericam pertinent adduntur, quòd alia sit à creaturis omnibus.

§. 7. *Differentia*, vel quod istius loco ponitur, partim attributis, partim personis deitatis, quæ tum operibus ad intra, tum ad extra distinguuntur, absolvitur. Attributa sunt, quòd intelligens, æterna, verax, bona, iusta, casta, misericors, benefica, liberrima, immensæ sapientiæ & potentia sit, irascens peccatis In una essentia divina tres sunt personæ, Pater, Filius & Spiritus S. Opera ad intra (quæ terminantur intra sinum deitatis, nec foras progrediuntur ad creaturas) sunt respectu Patris esse *ἀγεννητον*, ab æterno verò gignere Filium ac spirare Spiritum S. respectu Filii ab æterno à Patre gigni, & cum Patre simul spirare Spiritum S. respectu Spiritus S. ab æterno à Patre & Filio procedere. Opera verò ad extra sunt rerum omnium creatio, conservatio, generis humani redemptio, & sanctificatio credentium. De quibus in aphorismis fusius & accuratius.

p. 45

APHORISMUS I.

Nomina ferè sunt, quæ de DEO in hac vita scimus.

SCHOLIUM.

§. I.

Sensus. Cum nomina sint vestigia, imò scubilia rerum, in nomina DEI præci-

pua non immeritò inquirimus, præsertim, cum in scriptura nomen DEI pro ipso DEO, vel omni, quod de DEO nominari potest, ponatur, & Judæi nomen *τῷ θεῷ* pronuntiare nolentes τὸ *ὄν* i. e. nomen substituant.

§. 2. Inter nomina verò DEI nomen ejus proprium *יהוה* & proprium ipsius cognomen *יהושי* eminent. Nomen *יהוה* significat essentiatorem, ut audivimus, & descendit à radice *יהוה* vel *יהוה* i. e. fuit, cui formativa nominis proprii Jod præfigitur. Lutherus secutus Interpretem LXX. & *αυτοκρατοριαν* DEI respiciens reddidit per nomen *HEX* meris majusculis, ut partim à proprio DEI cognomine, quod reddidit per vocab. *HEX* duabus majusculis & duabus minusculis, partim ab appellativo *יהוה*, quod vertit per nomen *HEX* meris minusculis, discerneret: quantumvis sint, qui nomen hoc DEI proprium, non secus ac vocabula Zebaoth, Alleluja, Dudaïm, Amen & alia propria in aliis linguis retenta malint. Quod autem Græcus non retinuerit, ratio est, quòd meris propemodum adspiratis, quibus Græca lingua caret, constet. Unde sunt, qui linguæ hujus respectu nomen hoc *ἀνεκφώνητον* i. e. ineffabile dictum fuisse, sibi persuadent.

§. 3. Esse autem hoc nomen DEI proprium, quo probari possit deitas, contra Socinianos, quosdam Calvinianos & dogmatum diversorum Conciliatores, evincimus rationibus seqq. i. quod omnia requisita nominis proprii reperiantur in hoc nomine. Præterquam enim quòd præfixum habeat Jod formativum nominis proprii, caret plurali numero, non ponitur in regimine, non recipit *ἐπιθετικὸν*, nec à fine pronomen affixum. Si quis excipiat

excipiat in regimine poni, v.g. *Es. 6. v. 3.* Sanctus, sanctus, sanctus. יהוה צבאות i.e. Dominus exercituum, respondemus esse hîc ellipsin nominis אלהים quod subintelligendum, & inter nomina Jehovah & Zebaoth ponendum, ut ellipsis hæc alibi suppletur. 2. probamus ex loco *Es. 42. v. 8.* ubi divina Majestas inquit: Ego יהוה hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo. 3. quia nulla creaturarum essentiam suam habet à seipsa, multò minus aliis largitur essentiam. 4. quia nulum exemplum in sacris extat, quòd hoc nomen absolutè positum creaturis competat. Licet enim mons Moria vocetur יהוה יראה i.e. Dominus vexillum meum, *Ex. 17. v. 15.* distinctissima tamen sunt, quando nomen hoc compositionem ingreditur, & quando absolutè ponitur. Sic aliud est DEUS, aliud Theophilus, Theodorus, Theophylactus; aliud Christus, aliud Christophorus, aliud Constantinus, aliud Constantinopolis. Mons Moria non vocatur יהוה sed propter mnemosynon providentiæ divinæ, quod DEUS Abrahamo de victima ibidem prospexerat, vocatur Dominus providebit: ara, quam extruxit Moses, non Jehovah, sed Dominus vexillum meum in memoriam obtentæ adversus Amalecitas victoriæ nuncupatur. Quando verò Moses, arcæ elevatâ, dicebat: Surge, Domine, & dissipentur inimici tui, *Num. c. 10. v. 35.* non arcam, sed DEUM præsentem arcæ alloquitur, prout Psalmographus regius hæc distinguit *Pf. 132. v. 8.* Revertere ad quietem tuam Domine, tu, & arca fortitudinis tue. *Pf. verò 68. v. 2.* de Deo verba hæc effert: Exurge Deus, ut dissipentur inimici tui. Πρωτογενής, quando primogenitum suum enixa in hæc erumpit ver-

ba: Possedi virum Dominum, *Gen. 4. v. 2.* ipsum promissum capitis serpentini destructorem esse persuasum habet, & sic tanquam Messiae putatio nomen hoc tribuit. In hoc nomine, quòd meris quiescentibus literis constet, nonnulli DEI simplicitatem, quidam etiâ, quod omnes temporum differentias complectatur, æternitatem DEI querunt. Præsens innuitur per Cholem, præteritum per Kametz, Futurum per Jod, notam tertiæ personæ futuri. Huc respexisse volunt *Joh. capite Apocal. 1. v. 4.* cum gratiam precatur Ecclesiis Asiaticis ab eo, qui est, qui erat, & qui venturus est. Hieronymus etiam mysterium S.S. Trinitatis ostendit in hoc nomine, quando Patrem per literam Jod, signum denarii numeri, propterea quòd fons sit deitatis, filium per ñ duplex propter duas in Christo naturas, & quòd hæc litera inserta fuerit nomini Abram, ut Abraham deinceps diceretur, Sp.S. per Vav copulativum, quòd vinculum sit inter Patrem & Filium, adumbrari dicit, ut videre licet in *Christol. Meissn. disp. de genealogia Christi*. Sed jucundæ saltem sunt meditationes, quibus nihil probatur, vel minus etiam, quàm quòd Trinitatis mysterium in vocabulo אלהים i.e. creavit. *Gen. 1. v. 1.* contineatur. Sunt enim, ut *αγαθὸς ἀδελφὸς* hoc adspargamus, qui per א nomē אב i.e. Patrem, per literam ב nomen בן & per literam ס nomen ספ i.e. Spiritum, tanquàm vinculum inter Patrem & Spiritum S. innui volunt. Sed Photinianus huic cabalæ facile substituet aliam min⁹ acceptam. In constructione potius nominis pluralis cum verbo singularis numeri vis collectionis continetur, Judæi veteres, quibus mysterium sacro-sanctæ Trinitatis non erat incognitum, per tria Jod cum sub-

strato unico puncto Kametz hoc nomen τετραγράμματος scriptum dicitur, sed hodie non facile quis in libris eorum sic scriptum reperiet, sed per duo 𐤀 abbreviatum. Videatur *Christoph. Helvicus in disput. de mysterio S.S. Trinit. in elencho adversus Judæos contenta.* Nomen DEI contractum est 𐤀 quod in nominibus propriis compositis non raro invenitur. Judæi nomen Jehovah non pronunciant, sicut literæ sonant, sed vocem 𐤀 substituunt. Putant enim partem non habiturum in futuro seculo, qui nomen hoc pronunciat, prout sonat. Verum si circa τὸ δυνάτον i.e. an possit pronunciat, controversatur, ut scribi, pingi & fingi potest, sic etiam pronunciat posse, quis ibi inficias? Si verò 𐤀 τὸ δυνάτον i.e. an liceat non nomen, ut sonat, efferre, quæstio est, utrum omnem sanctissimi nominis hujus abusu detestemur, nihilominus, quia DEUS ipse nomen hoc & ipsius originem *Ex. 3. v. 14.* nobis revelavit, & Israëlitis manifestari jussit, cur ab eodem abstinere? Quod Patres ante Moysen attinet, an iisdem nomen hoc DEI proprium fuerit cognitum, disquiratur, cum divina Majestas *Ex. 6. v. 3.* dicat, se tantum nomine 𐤀 i.e. DEI omnipotentis Abrahamo, Isaaco, Jacobo apparuisse, non nomine יהוה. Verum cum jam πρωτόγονος enixa primogenitum suum, quem capitis serpentinum destructorem fore, persuasa erat, hoc nomine signavit, varii varias solutiones quaerunt. Inter eas ipsas plausibiles videntur, quod vel de peculiari revelationis modo vel de practica significatione nominis hujus in liberatione populi sui declarata, divina Majestas loquatur.

§. 4. Vocabulum 𐤀 quod Lutherus reddidit per vocabulum 𐤀 Err dua-

bus majusculis & duabus minusculis, proprium DEI cognomen est, etiam nulli creaturarum in sacris literis tributum, si nim. in fine habeat Kametz neq; illud Kametz propter accentum sit mutatum ex Pathach, tū enim plurale est pro 𐤀 Domini mei, cum affixo. Descendit à nomine 𐤀 i.e. basis, vel columna, quod DEUS omnia sustentet, & portet verbo potentie suæ *Hebr. 1. v. 3.* & sic absolutum DEI super omnia dominium significat. Ab eodem primitivo nomen est appellativum 𐤀 i.e. Dominus, quod ad DEUM per peculiarem formationis & punctationis rationem translatus omnipotentissimū & omnipotentissimum ejus principatum in cælo & terra designat. In plurali de vero Deo constructa vox 𐤀 *Psal. 136. v. 3.* *Confitemini 𐤀 i.e. Dominis (Domino) Dominorum &c.* usurpatur, ad 𐤀 & eminentiam super omnes DEOS significandam.

§. 5. Nomen 𐤀 quod ab descendit & terminatione & significatione plurale est. Habet enim suum singularem 𐤀 & à Luthero redditur per nomen 𐤀. Quando essentialiter usurpatur personarum in deitate pluralitatem pro temporum istorum 𐤀 denotat: si verò personaliter de una Trinitatis persona (v.g. *Pf. 45. v. 8. ideo unxit te, 𐤀 DEUS Fili, 𐤀 i.e. DEUS tuus praesentibus tuis &c.*) sumitur, 𐤀 illius personæ ad plures, quod sc. una sit ex personis deitatis communem essentiam habentibus, significat. Et hæc sunt tria nomina DEI præcipua.

§. 6. DEUS aliàs in Hebræa lingua decem nominibus seipsum appellavit, quorum tria dicuntur ab ESSE, ut יהוה tria dicuntur à PRÆESSE, ut 𐤀

צבאות יהוה ארני שדי tria dicuntur à
POSSE, אלהים אל unum ab emi-
nentia, ut עליון i.e. excelsus. Cum ple-
raque vel exposita, vel jam attracta fuerint,
tria tantum paucissimis discutimus. No-
men שדי quidam à nomine שר i.e. mam-
ma derivant, & DEUM mammarum
pro DEO abundantiae accipiunt: Qui-
dam ex ש ab אשר & י i.e. sufficientia,
quòd DEUS sit ἀνταρκτικός, sibi que
soli sufficiat, componunt. Nomen עליון
à radice על i.e. ascendit, DEI que sub-
limitatem & eminentiam significat. No-
men צבאות cum quo vocabulum Jeho-
vah, sed mediante voce Elohim, cōnecti-
tur, significat exercitus à singulari צב
p.49 i.e. exercitus, propterea, quòd omnes
creaturæ DEO militent, & ad expedien-
da ipsius iussa stent in procinctu. Tantum
de nominibus DEI.

§. 7. *Ufus* hujus aphorismi est in di-
dactico, ut ἀνταρκτικός, eminentiam & o-
mnipotentiam DEI ex his nominibus ag-
noscamus: in polemico, ut ex nomine ac
cognomine DEI proprio contra Socin-
ianos, Calvinianos quosdam & dogma-
tum diversorum cōciliatores pro adstru-
enda Filii & Spir. S. deitate argumenta
nobis suppetant.

APHORISMUS II.

DEUS ἀμαρτυρον se non reliquit.

Item. ὁ κόσμος τῆς θεογνωσίας
παίδευτήριον. Item: Præsentem
mōstrat quælibet herba DEUM.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Cognitio DEI duplex est, vel
naturalis, vel salvifica. Prior ex libro
naturæ, posterior ex libro scripturæ hau-

ritur. Prior ad salutem non sufficit, debet
tamen esse manuductio ad ulteriorem
DEI ex libro scripturæ cognitionem, quæ
si vel negligitur, vel malè applicatur, ho-
minem inexcusabilem, quin & damnabi-
lem reddit: posterior autem nobis in hac
vita, ubi ἐν μέλει γινώσκουμεν, ad salutem
sufficit, licet hæc specularis & ænigmatica
sit imperfectior intuitivâ, quâ DEUM, ut
est, cognoscemus, omnium autem perfe-
ctissima sit, quâ DEUS seipsum cognos-
cit. Naturalis, quæ generalis etiam di-
citur, duplex est, ἐμφυτον i.e. connata &
ἐκτετακτον per discursum acquisita. Prior
oritur ex reliquiis divinæ imaginis & lege
cordibus inscripta, quæ legislatoris etiam
cognitionem, vel saltem quoad quæstio-
nem an sit, secum vehit. Unde metus iste,
vel terror conscientie in summis etiam
Monarchis, ut ἀντόχειρες evaserint, sibiq;
vitæ filum abruperint. Posterior ex in-
tuitu creaturarum oritur, & ab effectu ad
causam colligendo progreditur. Quia
verò non datur progressus causarum effi-
cientium in infinitum, in una tandè cau-
sa suprema, quæ sit causa causarum, & Ens
entium, subsistendum. Aristoteles, licet
creationem ex nihilo negaverit, motum
tamen hujus universi altius expendens,
unico motori supremo, quem statuit ἀνι-
στητον, motus omnes subordinat.

§. 2. Hæc DEI cognitio naturalis
cū à quibusdam negetur in totum, ut à
Socinianis, qui per traditionem potius
famam de DEO Barbaris gentibus inno-
p.50 tuisse volunt, à quibusdam in tantum, ut
Philosophis: quibusdam ἐμφυτον sibi cō-
natam minus probantibus, vel etiam pos-
sibilem tantum non actualem statuenti-
bus, ut ante annos quadraginta præter-
propter fecit Henricum Schraderum, Pastor

E 3

Alvensla-

Alvenslavia sub Archipræsulatu Magdeburgico, utraque nobis erit asserenda.

§. 3. *Εμμετρον* i. e. connatam probamus ex reliquiis divine imaginis, & ex lege naturæ cordibus inscripta. Ubi autem cognitio legis, ibi etiam cognitio legislatoris, vel saltem quoad quæstionem, an sit. Unde terror iste conscientie transgressionem legis huius, metu scilicet supremi legislatoris, licet factum vel sit occultissimum, vel à summis Monarchis patratum. De hac cognitione loquitur Apostolus *Rom. 2. v. 14. & 15. Cum gentes, quæ legem (scriptam) non habent, naturâ, quæ legis sunt, fecerint, eæ legem non habentes, semetipsis lex sunt: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis simul attestante illorum conscientia & cogitationibus inter se accusantibus, aut etiam excusantibus.* *Επιτηδειον* i. e. acquisitam per discursum probamus ex *c. 1. ejusdem epistole ad Rom. v. 19. & 20. Id, quod de DEO cognosci potest, manifestum est illis, sc. gentilibus: DEUS enim patefecit illis.* Si quidem invisibilia illi⁹ ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur, pervidentur, ipsiusque potentia & divinitas æterna, in hoc, ut sint inexcusabiles. Gemella de hac notitia per discursum acquisita in *cap. Act. 14. v. 17. & c. 17. v. 26. 27.* vide. Veras etiam esse notitias hæc naturales, patet ex *v. 18. c. 1. epistole ad Rom.* ut etiam ex *v. 25. capituli ejusdem*, ubi veritatis nomine veniunt, licet easdem gentiles male applicaverint. Unde distinctio inter phrasas, verum DEUM cognoscere, & verum DEUM verè cognoscere.

§. 4. Nec obstat huic cognitioni DEI naturali *Psalmus 14.* in cujus initio *Psalmes* hæc in verba erumpit: *Dixit impius in corde suo, non est DEUS.* Inter no-

ticiam enim simplicem & practicam distinguendum. *Psalmes* non de simplici, sed de practica loquitur, dum vivunt, ac si non esset DEUS, qui curam rerum humanarum gerat: id quod Apostolus *Tit. 1. vers. ult.* vocat *DEUM factis negare.* Diversa itaque sunt, non sentire DEUM in corde suo, & dicere in corde suo, vel secum statuere, non esse DEUM. Quando gentiles ante prædicationem Evangelii ab Apostolis factam dicuntur *ad Deum* vixisse, *ad Eph. 2. v. 12.* docente contextu, respectu cognitionis specialis & salvificæ tales extitisse dicuntur. Nec locus *ad Gal. 4. v. 8.* notitias naturales infringit, cum gentiles servivisse dicuntur *illis, qui non sunt in Pharisæis & Sadducæis* i. e. naturâ DEUS. Inter notitias enim ipsas (quas veritatem Apostolus citatis locis vocat) & notitiarum applicationem distinguendum. Notitias istas veras in dialogismis suis vani facti, animalibus, reptilibus, volatilibus, gressilibus (super quo *c. 1. ad Rom.* conqueritur Apostolus) heroibus, corporibus cœlestibus & aliis objectis gentiles applicarunt. Pelagianismo frigidam suffundere hanc sententiam, nullatenus concedimus, cum de notitiis naturalibus ipsis inter Catholicos & Pelagianos controversia non fuerint.

§. 5. *Ufus* aphorismi huius in didacticis esse potest, ut inde cognoscamus, superesse post lapsum adhuc rudera quædam imaginis divinæ, nec in DEUM, quod maxima pars hominum damnetur, culpam redundare. Invitavit enim DEUS gentiles proprio motu in diverticula raptos per hæc notitias *οὐδὲ τὸ ζῆτεῖν* i. e. ut DEUM ulterius quærendum, cuius etiam uberiores & ad salutem sufficienter cognitionem in Ecclesia invenire potuissent.

§. 6. *Ufus*

LOCUS II.

40
quando DEUM ut hominē certis mem-
bris præditum nobis describit, observat.
Cum enim in hac caligine DEUM, ut est,
concipere mente nostra nequeamus, ad
captum nostrum scriptura sese accom-
modat, & per visibilia nobis invisibilia
quadantenus adumbrat. Est enim ἀν-
θρώπου πάρεμια metaphora, quæ ducitur ab
hominibus & ad DEUM accommoda-
tur. Vocatur alio nomine συγκατάβασις
i.e. cōdescensus, cum scriptura, vel DEUS
in scripturis loquens ad nos humi repen-
tes sese demittit, & humano more nobis-
cum agit. Quod etiam in toto salutis
negocio, cum per certa media, verbum &
Sacramenta salutem nostram promover,
observat. Unde dicitur: *DEVS nobiscum
condescendit, ut nos ad ipsum ascendamus.*
Quod cum penſi minus haberent Audæ-
ani, circa cōvergia seculi quarti & quinti,
DEUM corporeum finxerunt Anthro-
pomorphitæ propterea dicti. DEUM
autem in essentia sua non esse corporeum,
probat 1. ex dicto Salvatoris *Job. 4. v. 14.*
DEVS est Spiritus. 2. ex attributis divi-
nis, præsertim simplicitate, æternitate, im-
mensitate &c. 3. ex eo, quod DEUS etiam
sexum sequiorem, ut σπλάγχνα ἐλέες i.e.
viscera misericordiæ suæ nobis adumbret,
sibi tribuat apud *Esc. 46. v. 3.* *Vos estis,
quos in matrice gero.* Θεογενετός autem
i.e. DEO convenienter hæc sunt accipi-
enda, ita ut per oculos omniscientia, per
aures clementia, vel juvandi promptitudo,
per os voluntatis communicatio, per ma-
nus omnipotentia, per pedes omnipræ-
sentia significetur. Unde dicimus: *DEVS
totus oculus est, quia omnia videt: totus
manus est, quia omnia operatur: totus pes
est, quia ubiq; est.*

§. 2. Usus aphorismi hujus in dida-

cticis est, ut bonitatem DEI, qui tam pa-
terne nobiscum cōversatur, agnoscamus,
& scripturas cum scripturis conferentes
honorificè de DEO sentiamus.

§. 3. In polemicis esse potest tum ad-
versus dictos Anthropomorphitas, tum
etiam adversus Calvinianos illos, qui
DEUM in figura hominis concipere,
peccati non exigui, quin & idololatriæ lo-
co habent. Videatur *Spinam in tractatu
de consolandis ægrotis, pag. 284. 285.* libri
aurei, quem vocat, de iustitia corā DEO
valente, de resipiscencia & consolandis
ægrotis, prout ex lingua Gallica in Ger-
manicam translatus est, ubi ægrotum se-
cundum præcepta Decalogi de peccatis
commisſis interrogat, & in secundo qui-
dem de non faciendis sculptilibus, an
DEUM unquam in forma hominis conce-
perit? Confer & *Mengerium in
scrutinio conscientia c. 22 sub titulo ühnnd
istiger Gewissens, Verwirrung, p. 1499.*

APHORISMUS V.

Nihil est in DEO, quod non sit
DEUS.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Postquam nomina & essentiam
DEI, quantum in scripturis nobis re-
velatum est, vidimus, jam ad attributa fa-
cimur accessum. De his in genere notan-
dum, quod non sint accidentia, ut in crea-
turis, quia compositionem inferrent in
subjectū & imperfectionis alienius DEUM
arguerent, sed ipsa essentia divina & cum
eadem reciproca, ita, ut dicere possim:
Misericordia, iustitia, potentia &c. in
DEO est ipse DEUS. Sic loquitur *D. Jo-
hannes in 1. epistola c. 4. v. 16.* *DEVS est
charitas.* Interim non attendimus iis, qui
*Aug. 1. Confess. lib. 7. c. 4. §. 2. locutio-
ne dicit: Voluntas et potestas Dei ipse est.*

locutionib. tantum abstractivis de DEO utendū censent, cum scripturam vocabulis cōcretivis utentē hīc habeamus præviam, modò rectē intelligantur & exponantur.

§. 2. *Usus in didacticis* esse potest hujus aphorismi, ut hanc *θεῶν ὑπερσόνον* à creaturis distinguamus, & necessitatem λόγος propter infinitam justitiam DEI peccatis nostris læsam cognoscām⁹, quidquē phrasī Apostolica sibi velit, *DEUM semetipsum negare non posse* i.e. contra suam justitiam, misericordiam, veritatem & alia, quæ vocamus, attributa non posse agere, rectius intelligamus.

§. 3. *Usus in polemicis* esse potest tum adversus Socinianos, qui justitiam & misericordiam in DEO essentialē proprietatem esse negant, & tantum contingens effectum liberæ voluntatis esse statuunt, partim adversus Ginglyanos istos, qui DEUM homines ad mala instigantē malè non facere dicunt; propterea quòd sit ex lex, nec à superiore aliquo legem sibi latam habeat: quia DEUS sibi metipsum non lex sit secundum æternam & infinitam justitiæ suæ regulam, quam transilire ac seipsum negare nullo modo potest.

APHORISMUS VI.

DEUS est omnia & nihil.

SCHOLIUM.

§. I.

Sensus. Cum dictum hoc *Dionysii*, obscuriusculū implicare videatur, quadatenus evolvemus. Sensus est: DEUM omnium creaturarum perfectionem includere, sic tamen ut infinito modo transcēdat, & ita nihil cum creaturis commune habere videatur. Sunt homines justī, misericordes, sapientes, veraces, de quibus virtutibus omnibus DEUS participat,

sed in homine sunt accidentia evanida, in DEO essentia ipsa. Quare DEUS ita justus, misericors, sapiens, verax est, ut nihil cum hominibus ipsi commune videatur. Hinc per duplicem viam eminentiæ & negationis facilius in DEI naturam pervenire dicimur.

§. 2. *Usus aphorismi hujus idē pro-*
pemodum, qui præcedentis, *in didacticis* p. 55
esse potest, ut sc. *ὑπερσόνον* essentiæ divinæ infinitam agnoscāmus, de qua *c. Es. 40.* videri potest. Cum enim Propheta *v. 17.* gentes purum putum nihil coram DEO dixisset, subjungit *v. seqq. Cui ergò metandem assimilabitis?*

§. 3. *In polemicis* adversus eosdē Socinianos & Calvinianos, qui tam frivolè de DEI justitia, misericordia, omni-
scientia, omnipotentia, veracitate sentiunt, usui esse potest. De quibus pluribus forsā suis locis.

APHORISMUS VII.

Ubi DEUS est, ibi totus est, nec major in maximo, nec minor in minimo. Item: DEUS non mole magnus est, sed virtute.

Item: DEUS est *intra omnes* *Augustin.*
creaturas, non inclusus: & extra *Ad. 1. cap.*
omnes creaturas, non exclusus. *30. §. 3. p. 70.*

Item: DEUS est circulus, cujus centrum est ubique, circumferentia nuspiam: Item: *Αὐτὸς ἐστὶν τὸ πᾶν* *id. Deū magnū est sine q̄titate, & ideo immensū. Augustin. Manual.*

SCHOLIUM. cap. 2.

§. I.

Sensus. His aphorismis immensitas & omnipræsentia divina cū simplicitate cōjuncta nobis aliquo modo delineatur. Differunt aliàs immensitas & omnipræ-

sentia, ut attributum ἀφ' ἑαυτοῦ & ἑαυτὸν
i.e. quod relationem habet ad creaturas.
Immensitas est attributum ἀφ' ἑαυτοῦ, quod
DEO competit, etiam si nulla creatura-
rum fuisset unquam producta: omnipræ-
sentia ἑαυτὸν, quod ponitur, positis cre-
aturis, quibus DEUS præsens esse potnis-
set. Ut jam DEUS, ubicunque sit, to-
tus sit, simplicitatem ipsius simplicissimā
præsupponit. De hac Jacobus inquit c. 1.
sua epistola v. 17. quod apud DEUM non
sit παραλλαγὴ, ἢ τροπὴ ἀποκλεισµα i.e.
nulla mutatio, aut conversionis adumbra-
tio. Nec enim ullus compositionis mo-
dus, quicunque tandem sit, in DEUM ca-
dit. Compositio aliās vel physica est,
vel metaphysica. Illa vel sit ex elementis,
& alio nomine vocatur mistio, vel ex ma-
teria & forma, quæ corporibus etiam cæ-
lestibus competit. Hæc vel ex subjecto
& accidente, vel ex actu & potentia, vel
ex esse (quæ receptivitas est essentia) &
essentia fieri solet. Ex his nulla DEO
competit: non physica, cū corporeus
non sit, multò minus ex elementis mistus;
nec metaphysica, cū nec accidens, nec
potentia passiva DEO tribui queat, nec
p. 56 ipse αὐτὰντὸς essentiam ab alio receperit.
Cū itaque materia, consequenter ipsius
soboles quantitas ab essentia divina lon-
gissimè absit, partes extra partes non ha-
bet, sed ὅλος ὅλον τι existens, ubicunque
est, ibi totus est. Sic quando Apostolus
Act. 17. v. 28. dicit: *In ipso vivimus, sumus
& movemur*: & Salvator Joh. c. 14. v. 23.
*ad eum veniemus, & mansionem apud eum
faciemus*, non intelligendum hoc est, ac si
DEUS per partes in nobis sit, aut inclusi-
vè, ut non simul etiam sit in aliis creaturis,
sed dicto modo, quod ubilibet totus, in-
tra omnes creaturas nō inclusivè sit, extra
omnes creaturas non exclusivè sit. Quia

omne centrum potentiā in se continet
circulum, DEUS immensus propter præ-
sentiam suam, quā creaturis adest & in-
est, citra tamen omnem confusionem, cū
tali centro, quod ubiq; sit, circumferentiā
verò suā nūspiam terminetur, non incon-
cinnè comparatur. Cū ab Apostolo di-
citur inhabitare *Θὸς ἀπερίσπτον* i.e. *lucē in-
accessam* 1. Tim. 6. v. 16. non cogitandum,
lucē illam inaccessibleē, quam DEUS in-
habitat ab æterno, esse aliquid à DEO di-
stinctum, quo DEUS contineatur, sed
quod ipse lux sit æterna semetipsum inha-
bitans. Ipse συνεκτὴς & περιεκτὴς potius
i.e. ita, ut contineat & comprehendatur,
quàm συνεκτικὸς & περιεκτικὸς i.e. ita, ut
contineatur & comprehendatur, creatu-
ris omnibus præsens est.

§. 2. *Vsus aphorismorum horum
didacticus est*, ut DEI simplicitatem & im-
mensitatem, quam sequitur omnipræsen-
tia, positis creaturis, agnoscamus.

§. 3. *Vsus in polemicis contra Vor-
stianos*, qui simplicitatem & immensita-
tem DEI negant, & variis modis impu-
gnant; ut etiam contra Calvinianos, qui,
cū omnipræsentiam carnis Christi de-
structum eunt, ipsius DEI omnipræsentia
eādē operā labefactant. Dicunt enim
hoc inde sequi absurdum, Christum se-
cundū carnem esse in omnibus cloacis,
in omnibus cantharis, in omnibus pati-
bulis, in omnibus laqueis farum. Quo
ipso quid aliud isti nasuti faciunt, quā
quod omnipræsentiam ipsius DEI ne-
gent, aut suspectam reddant. DEUM
autem citra ullam εὐχχυσιν, aut μίξιν in
creaturis esse noverint.

APHORISMUS IIX.

Mutatio in creaturis facta muta-
tionem nullam in DEUM infert.

SCHO-

Sensus. Quantumvis mundus in tempore productus sit, in tempore conservetur & gubernetur, positis creaturis, DEUS omnipræsens sit, mutatio tamen nulla in DEO facta est. Quemadmodum enim in Sole, cum singulis momentis, aliis globi terreni habitatoribus oritur, aliis occidit, nulla fit mutatio: vel, quando columna in medio posita quibusdam à parte dextra, quibusdam à sinistra, quibusdam antrosum, quibusdā retrorsum videtur, sui similis existit: ita mutatio in creaturis facta, cum ex tenebris (non privativis, quia lux non antecessit, sed negativis) lux splendescit, ex nihilo fit aliquid, præsentia, inspectioni & gubernationi divinæ creaturæ omnes subjiunguntur, mutationem in DEO nullam affert, *penes quem non est vicissitudo lucis & tenebrarum, Jac. c. 1. v. 7. qui cælo & terrâ pereuntibus, ipse permanet; mutatis iisdem, idem est, Ps. 102. v. 26. seqq. Hebr. 1. v. 10. & 11.* Imò sextiduum, intra quod mundus productus fuit, & tot annorum millenarii, quibus durat & duraturus est, respectu DEI tantum fuit & est momentum, ut jam jam pluribus dicemus.

§. 2. *Vsus aphorismi hujus in didacticis est, ut immutabilitatem DEI cum simplicitate nexu arctissimo conjunctam agnoscamus & à Creaturis mutationi obnoxii DEUM immutabilem limitibus accuratissimis distinguamus.* Πάν γὰρ κτισὸν τέκτον i. e. *omne, quod creatum est, mutationi obnoxium est, nisi per gratiam in suo statu conservetur.* Solus autem DEUS de se dicere potest: *Ero, qui ero, Ex. 3. v. 6. DEVS ego sum, non mutor, Mal. 3. v. 6.*

§. 3. *Vsus in polemicis rursus contra Vorstianos esse potest, qui negando, vel labefactando quædam attributa divina suis hypothefibus novis ἀπόρριον doctrinæ de DEO, trinitatem sc. personarum in unitate essentia subruere voluisse videntur.*

APHORISMUS IX.

DEO nihil abit præteritum, nihil subit futurum.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Vivit enim in perpetuo τὸ εἶναι æternitatis, cui præsentissima simul sunt omnia. Hæc ut cognoscantur exactiùs, tenendum τὸ εἶναι i. e. nunc, vel esse stans, vel fluens. Prius ad tempus præteritum & futurum respectum non habet, sed idem existit: posterius autem tempus præteritum & futurum connectit, & subinde variatur. De hoc Physici dicunt, quod non sit pars, sed nexus temporis præteriti & futuri. Definuitur enim ab iisdem tempus, quod sit ἀριθμὸς κινήσεως & τὸ πρότερον καὶ ὕστερον i. e. *numerus (non numerans, sed numerabilis) motus secundum prius & posterius.* Per prius tempus præteritum, per posterius futurum, quæ τὸ εἶναι i. e. nunc fluens, singulis momentis momentum variabile, annectit, intelligunt. Quantumvis autem tempus omnem motum metiatur & numeret: præprimis tamen motum corporum cælestium uniformem, continuum & perpetuum. Unde dies, menses, anni species, aut partes temporis dicuntur. Hæc entia, ut tempus & motum, Physici vocant Entia successiva & τὰ ἐν partium habentia, quibus permanentia & δέον partium habentia, opponunt. Illustrant

p. 58

F 2

exemplo

Eleganter August. Confess. lib. 1. c. 6. §. 3. inquit: Quia quantum deficiunt anni, sic adieci dies. Et si multi jam dies viderentur, et patrum nostrorum pro hodiernis transierunt: quod ex illo accipimus quod dies, et ita magis extiterunt: et transierunt adhuc alij, et

exemplo aquæ in fluore perpetuo versantis;
Unde velut labunda novæ superimminet nuda.

Sic τὸ ὄν fluens itentidem variatur, & novum subinde præteritum cum futuro connectit. Τὸ ὄν i. e. nunc, quod DEO tribuimus, non est fluens, sed stans, quia priusquam crearetur hoc universum, nec motus corporum cælestium, nec numerabilis alius motus fuit. Quarto siquidem creationis die demum Sol, Luna & reliquarum stellarum exercitus, quarum vicem lux primigenia in luminaria compacta diebus prioribus quatuor subiit, fuit productus. Hinc mille anni coram DEO dicuntur sese habere, ut dies unus Ps. 90. v. 5. 2. Petri 3. v. 8. & ante creaturas existentia aternitati adscribitur Job. 1. v. 1. Cum verò mundus in tempore productus dicitur, de tempore non præexistente, sed coëxistente i. e. quod creaturæ cū tempore cœperint, vel etiam imaginario intelligendum est. Anni & dies DEO per αἰὼν ὁπποῦντα i. e. illam metaphoram, quæ ab hominibus desumpta est, & ad DEUM transfertur, Michea 5. v. 2. Ps. 102. v. 16. tribuuntur. Nec enim nos, qui vivimus in tempore, aliter aternitatem cōcipere possumus. DEO itaque in perpetuo τὸ ὄν aternitatis existenti πάντα γυμνά καὶ τετραχνησμένα i. e. omnia nuda & resupinata sunt, Hebr. 4. v. 13. ipsique non tantum futura contingentia, sed & causarū incunabula, & conditionata, licet eventum nunquam compleantur, cognita sunt, 1. Sam. 22. v. 12. Matth. 11. v. 21. 23.

§. 2. Usus aphorismi huius in didacticis esse potest, ut aternitatem DEI & omniscientiam ipsius agnoscamus, & peccata cane pejus & angue vitare discamus.

accipiant, & utique, existant. Tu a. idem ipse es:
& oia crassina, atq; altia, oiaq; hesperia,
& retro, hodie factis, hodie fecisti. Quid ad me?
Si qd. illigat, & videat & ipse, dicens, qd. hoc?
Gaudet n. p. & amet & inveniendo invenire

Si enim in quovis angulo custos angelus reverendus, cuius tamē scientia finita est, cur nō multò magis omniscientiam DEI, cuius oculi Sole sunt lucidiores & abdita tenebrarum penetrant, cui nuda & detecta patent omnia, revereamur? p. 59

§. 3. In polemicis adversus Vorstianos aternitatem, & Socinianos, futurorum contingentium præscientiā in DEO negantes, esse potest.

APHORISMUS X.

Enter, præsentem DEUS hīc & ubique potenter.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Postquam de DEI omnipræsentia diximus aphorismo septimo, jam de omnipotentia etiam aliquid subiiciemus. Ubi ante omnia inter potentiam activam & passivam distinguimus: non posterior, quæ compositionem ex potentia & actu, nec non imperfectionem in DEO statueret, sed prior DEO simplicissimo & perfectissimo competit. Præterea inter impossibilia naturæ, & impossibilia naturā distinguimus. DEUM impossibilia naturæ posse facere ac sæpius fecisse, non tantum ex eo constat, quod ipse liberè naturæ leges dederit, sed etiā quod multis exemplis hoc testatum fecerit, v. g. cū ignis non ussit, Dan 3. v. 28. corpus grave latum fuit sursum 2. Reg. 6. v. 7. humidū clausum fuit terminis propriis Ex. 14. v. 22. Sol & Luna (imò totum firmamentum) steterunt Josue 10. v. 12. 13. retrocesserunt 2. Reg. 20. v. 11. Esa. 38. v. 8. Virgo peperit Luca 1. v. 34. c. 2. v. 7. pars major fuit toto Job. 6. v. 13. Sed impossibilia naturā non continentur sub voce omnipotentia, cū DEI potius impo-

potius, qm in veniendo a tentiam,
invenire te. Et rursus lib. 11. c. 13. §. 2.
Anni tui (o. 829) nec erant, nec veniant, vnde
nra et erant. Invenit, ut ois. cunctis
Anni tui ois simul sunt, quia sunt, nec

tentiam, quàm potentiam arguerent, ut facere duo contradictoria simul esse vera, factum infectum reddere, peccare, mori. Si enim DEUS hæc faceret, non esset verax, ipse non esset ipse, sicque potius à posse deficeret, quàm omnipotentiam suam argueret. Distinguitur etiam inter potentiam DEI absolutam & ordinatam. Absoluta citra respectum ad aliquod attributum divinum cōsideratur, ut hæc DEUS multa potest, quæ non facit, v.g. ex lapidibus Abrahæ suscitare posteros Matth. 3. v. 9. Ordinata respectum ad habet attributa reliqua. Sic enim DEUS omnipotens est, ut etiam sit justus, verax, misericors &c. His præmissis, omnipotentiam DEI probamus 1. ex Gen. 18. v. 14. An aliquid impossibile DOMINO? Quæ verba Gabriel ad Mariam repetit Luca 1. v. 37. Non est impossibile apud DEUM ullum verbum i.e. ulla res. Hebræi siquidem, quos in multis imitantur Evangelistæ, per verbum interdum rem significant, prout c. 2. Luca v. 15. videre licet, cum Pastores se invicem sic alloquuntur: Videamus τὸ πῶμα τῆτο, ὃ γέγονεν i.e. hoc verbum i.e. rem, quæ facta est. Lutherus: *Laß uns die Geschichte sehen.* 2. probamus omnipotentiam divinam ex Psal. 115. v. 3. DEUS noster (Deastris gentilium oppositus) est in cælo, quacumq; vult, facit. Cui gemellus est locus Psalmi 135. v. 7. Omnia, quæ vult, facere potest, in cælo & in terra, in mari & omnibus abyssis. 3. ex epistola ad Eph. 3. v. 20. ubi dicitur, quod DEUS superabundanter facere possit, ultra omnia, quæ petimus aut intelligimus. 4. ex epistola ad Philip. 3. v. ult. ubi de CHRISTO *θεῶν ἰσχυρὸν* dicit Apostolus, quod corpus nostrum humile conformatur sit corpori suo glorioso (non Majestatis à venientibus excludunt, quia transiunt: *ἵνα 3a. nri oēs erint, APHO.* cū cor d' erit. *Annūtiū dñs vñs; ex dñs hñs ὁ gl'rie, ὁ hodie: quia hodiernus hñs d' erit crastinus, neq; succedit hesternus. Hodiernus hñs eternitas; ideo cōternum genuisti, cū dixisti: Ego hodie genui te.*

statico, quod habet ex unione personali) secundum efficaciam, quæ sibi subicere potest omnia.

§. 2. *Ufus* aphorismi hujus in didacticis esse potest, quod DEUS promissâ eventum complere v.g. corpus suum in cœna præsens nobis sistere, rebusque nostris conclamatis opem ferre queat.

§. 3. In polemicis adversus Rationalistas, Calvinianos & Socinianos, qui rationis suæ decempedâ potentiam DEI metiuntur, inprimis Petrum Martyrem, cui terminum ubiquitatis & ubiquitatarum, ceutæctum, adscribunt. Dicit hic in dialogo orothetico p. 8. *Ubi nunc est illa DEI omnipotentia, quam tam liberè & citra omnem exceptionem perpetuò crepatis? Certè contrahitur, si ceteris creaturis dari per illam non potest, ut sint ubiq;.* Pag. 6. ad objectionem, quod, etsi corpus suâ naturâ non habeat, ut sit ubique, esse tamē possit, vi & potestate divinâ, respondet: *Ego verò contra tibi affirmo, nulla vi (sc. divinâ) fieri posse, ut res creata sit ubiq;.* Tibias easdem inflat Beza in quest. & responsionibus fol. 658, negans DEUM efficere posse, ut unum corpus sit simul multis in locis, vel alicubi sit, ut in loco, alicui non ut in loco. Quod ex ipsa natura exemplo cœli ultimi refutari potest Quod superficiem enim convexam nō est in loco, nisi progressum in infinitum admittere vellemus, licet quoad superficiem concavam in loco sit, eâ nimirum ratione, ut digitus est annuli locus. Ejusmodi flosculos etiam in scriptis Sadeelis, Piscatoris, Keckermanni & aliorum legere licet, qui tamen plures adessendi modos, DEUMque plus posse, quàm nos intelligimus, altius expendere deberent.

APHORISMUS XI.

In opere redemptionis temperamētum justitiæ & misericordiæ divinæ lucet. Item, Peccata non ex nuda DEI voluntate sunt æstimanda.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Etiam si attributa divina sint simplicissimum *ταυτοῦ*, si cōsiderantur *οὐκ ἐξ ἑαυτοῦ*, ut intra sinum deitatis continentur, si tamen *οὐκ ἐξ ἑαυτοῦ* considerantur, quatenus foras progrediuntur ad creaturas, distinctiones aliquas admittunt, & in hac consideratione misericordia DEI major justitiā, supraque iudicium triumphare dicitur *1. ac. c. 2. v. 13.* Elucet hæc ipsa in opere redemptionis nostræ, cum propter transgressionem mandati sui DEUS humanum genus aternā morte punire, flammisque infernalibus adjudicare potuisset, nihilominus, ut & servaretur, suæque justitiæ vindictivæ satisficeret, consilium inivit, ut innocens pro nocentibus, justus pro injustis & quidem persona infinita pro toto genere humano pateretur. Quod ipsum Patres, misericordiæ & justitiæ divinæ temperamentum vocarunt, non quasi hæc attributa divina prius sejuncta veluti qualitates primæ in corpore misto (unde temperamentum, ceu soboles, prodit) aut ingredientia in pharmaco temperata fuerint, sed quod in redemptionis opere utraque, justitia, sine satisfactione peccata non remittens, misericordia, satisfactionem ab alio, tanquā à reo solutam accipiens cōspiciatur. Unde simul, peccata non æstimati nudā DEI voluntate, ita, ut si DEUS factū aliquod pro peccato velit habere, peccatum sui, sin-

secus, non sit, sed justitiā in DEO vindictivam esse, cuius speculum lex moralis est, peccata circa satisfactionem non remittentem, liquet. De hac ipsa Salvator *Matth. 5. v. 18.* dicit, quod *cælum & terra prius dissolvi, quā iota, vel apex unus de lege in terram decidere debeat.* Quod si transgressio primorum Parentum tantum contra voluntatem divinā facta fuisset, citra satisfactionem condonari potuisset. Nec acceptillationi locus hic est, quā nimirum quid pro quo, denarius pro centenario, solvitur & accipitur, sed persona requirebatur infinita, quæ *ἀντὶ τοῦ ἰσόρροπον* i. e. precium æquilibre, omnibusque numeris absolutum persolvere poterat. Si quis tamen voluntatem modificatam i. e. quatenus cum justitia divina concurret, intelligat, nos refragantes non habebit.

§. 2. *Usus aphorismi huius in dida. p. 62*

eticis esse potest, ut DEUM & justum & misericordem agnoscamus, peccata velis & remis fugiamus, nec tamen si forsan in illa prolapsi fuerimus, desperemus. Sarcasmus sanè Diabolicus est, quod DEUS peccata interdum susque deque habeat, expressus in isto versiculo:

Si quoties peccant homines, sua fulmina mittat

Iupiter, exiguo tempore inermis erit.

Omnis *ἀνομία*, quocunq; gradu locetur, est *ἀμαρτία*, consequenter adversus justitiā DEI vindictivam fertur, & nisi propter CHRISTI meritum fide apprehensum remittatur, aternæ damnationis reos facit. Quia verò CHRISTUS vel ultimum quadrantem pro nobis solvit, & numeris omnibus pro nobis satisfecit, (quod ex resurrectione ipsius palam fit) peccatorum mole pressi non despondeamus animum, sed ad hoc *ἀντὶ τοῦ* confugiamus,

mus, illudq; verâ fide nostrum faciamus.

§. 3. *Usus in polemicis* esse potest adversus Socinianos, & Crypto-Socinianos, qui iustitiam vindicativam in DEO negantes ex voluntate DEI peccata æstimator, & in articulo de justificatione loco satisfactionis acceptillationem substitunt, ac si DEUS ex liberalitate actû fidei, licet imperfectus sit, pro perfecto accipiat & æstimer, non secus ac creditor aliquis ab exhausto debitore 10 pro 100 accipiat. Ab his non procul absunt illi Jesuitæ & Calviniani (Valentianus & ipse Calvinus) qui Christi mortem rigori iustitiæ divinæ opponi posse negant.

APHORISMUS XII.

Affectus, qui DEO tribuuntur in scripturis, de effectu sunt intelligendi.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Affectus, ut amor, ita, odium &c. qui mutationem & perturbationem interdum secum vehunt, per eandem figuram ab hominibus desumptam & ad DEUM translatam, quam vocamus *ἀνθρωποθεϊαν*, DEO tribuuntur. Cum enim tales effectus, qui proficiuntur ab effectibus humanis, etiam à DEO pervenire videmus, affectibus adscribimus, qui tamen à voluntate divina cum aliquo attributo concurrente profluunt. Huc etiâ referimus pœnitentiam, quæ DEO alicubi adscribitur in sacris v.g. *Gen. 6. v. 6.* pœnitent, me homines fecisse; alicubi de Deo p. 63 negatur, ut *1. Sam. 15. v. 29.* non DEVS est, ut homo, qui pœnitentiâ ducatur. Ut itaque conciliantur hæc loca, tenendum pœnitentiam DEO per figuram supra dictam tribui, & mutationem factam in

creaturis DEO adscribi, præsertim si attendamus, pœnitentiam propriè dictam esse cum aliqua mutatione, aberratione & perturbatione conjunctam.

§. 2. *Usus in didacticis* aphorismi huius esse potest, ut non tantum simplicitatem & immutabilitatem DEI agnoscamus, sed etiam id, quod cum creaturis commune DEO attribuitur, ab omni imperfectione liberemus, & id, quod perfectissimum remanet, soli DEO tribuamus.

§. 3. *In polemicis* adversus Anthropomorphitas & omnes eos qui DEI simplicitatem & immutabilitatem quovis modo labefactare conantur, usus esse potest.

APHORISMUS XIII.

Voluntas DEI semper impletur, vel à nobis, vel de nobis.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. In oratione quidem Dominica, ut voluntas DEI, sicut in cælo, ita & in terra, fiat, rogamus: quod si tamen voluntas DEI non impleatur à nobis, impletur de nobis, sumptione pœnarum. Impiorum siquidem interitus etiam illustrandæ gloriæ divinæ servire cogitur, ut inquit Apostolus *Rom. 9. v. 17.* *In hoc excitavi te, stare te feci, vel permisi te vivere nec cum pecudibus te percussi, ut ostenderem in te potentiam meam, si scilicet non resipisceres i.e. interitu tuo gloriam meâ illustrarem.* Quantumvis itaque finis intermedius à DEO intentus (prout Pharisei dicuntur *consilium DEI, ut baptizarentur & salvi fierent, adversus seipsos irritum fecisse Luc. 7. v. 30.*) ab hominibus possit interverti, nequaquam tamen ultimus, cum & *πανεξέπια* impiorum DEI gloria illustretur.

§. 2. *Usus*

Eleganter Augustinus Confess. lib. 1. c. 4. §. 2. dicit: *Amas, o Deo, nec æstimas: celas, et secum es; pœnitet te, et o dolens: irascaris, et largiris es: Opa mutas, nec quitas: Ophiliu: recipis, qd invenis; et nq. amittis: Nunquam inops, et gaudes: luctus: nq. arare, et infusus exigis. idem repetit in Man. Aug. cap. 1. §. 1. p. 213.*

§. 2. *V*sus aphorismi hujus in dida-
cticis esse potest, ut DEI *αὐτοκαταγλαρ*
agnoscamus, nihilominus ab hac imputa-
ta culpa, quasi citra voluntatem ejus, ne
malum quidem morale patrari queat,
ipsum liberemus.

§. 3. *I*n polemicis adversus Calvini-
anos, qui DEO nolente (i.e. non volente)
ne mala quidem moralia fieri posse cen-
sent, & absurdum, quod ab hominibus
voluntas, consilia & finis à DEO intentus
possint interverti, ducunt. Equis inficias
- ibit, DEI voluntatem esse sanctificatio-
nem nostram, quæ tamen peccatis variis
p. 64 impeditur? Ergo & peccata, sanctifica-
tionis impedimenta, vult DEUS? Finem
itaque intermedium & ultimum; volun-
tatem DEI, quæ sit à nobis, & quæ sit de
nobis limitibus accuratis distinguant.

APHORISMUS XIV.

Voluntas DEI facientis est tota
facti ratio.

SCHOLIUM.

§. I.

¶ *S*ensus. Sæpius quaeritur, cur DEUS
hoc, vel illud faciat, cur mundum non
prius creaverit? cur non statim post lapsum
& promulgatum *πρωτευαγγέλιον*, sed de-
mum post quartum ferè completum an-
norum millenarium promissum redemptio-
nem miserit? cur tam vilibus & abjectis
salutis mediis utatur? cur beneficia, quæ
p. 209. et Christus peperit, non in hac vita nobis
235. 34. communicet omnia, & sic etiam ab inhæ-
rentia peccati nos in hac vita liberet? cur
non per Angelos in negotio salutis nobis-
cum agat? & quæ possunt esse quaestiones
aliae. ¶ Licet autem à posteriori nobis ra-
tiones afferantur, & quidem ad quaestio-
nem primam, quod etiam si mundus prius
natus, id Patet id quod supra videtur. p. 88.

conditus fuisset, nihilominus hæc quaestio
moveri potuisset; ad secundam, quod ju-
go legum ceremonialium populum suum
prius exercere DEUS voluerit, ut eò an-
xius ad promissum Messiam anhelarent,
& ita methodum in conversione priva-
torum observari solitam, ubi contritio
antecedit fidem, & hic imitatus fuerit,
quia secundum tritum istud,

Dulcia non sentit, qui non gustavit amara?
ad tertiam, quod, *Chrysostomo* statuente,
quia corporibus nostris anima est inserta,
sub sensibilibus intelligibilia nobis præ-
beat, & quod media illa, quantum ad ma-
teriam terrenam, *εὐπρόσιτα* i.e. paratu fa-
cilia sint; ad quartam, quod profundissi-
mam nostram corruptionem altius ex-
pendere, CHRISTI meritum carius æ-
stimare, nec non ad futuram liberationem
plenariam ardentius adspirare debeam?
ad quintam, quod Angeli nobis potius
terrori essent, cum hominibus autem, tan-
quam fratribus, confidentius agere possi-
mus; licet, inquam, à posteriori rationes
ejusmodi à nobis afferantur probabiles,
tutius tamen in voluntate divina, quæ to-
ta facti ratio est, acquiescamus. *Omnia*
siquidem, quæ vult, facit, in cælo & in
terra: in mari & omnibus abyssis, Ps. 135.
vers. 7.

§. 2. *V*sus aphorismi hujus in dida-
cticis est, quod DEUS sit Ens liberri-
mum, in iis nimirum, quæ non sunt ne-
cessaria & immutabilia, ut est æterna Filii
DEI generatio, & Spir. S. à Patre & Filio
processio.

§. 3. *I*n polemicis adversus *Rationa-* p. 65
listas & Quomodistas, qui omnium re-
rum modum & rationem quaerunt, de
quibus in loco antecedente. *id est illos in A. Pontifici*
Hinc Lutherus comment. in Gen. c. 1. v. 23.
ita scribit: Si doctrinā Patris, omnem uno
Abso. complecti velis, recte dicat, eam nihil
niſi unum Quare.

APHORISMUS XV.

In una numero essentia divina tres sunt distinctæ personæ, Pater, Filius & Spiritus S.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Nulla hic est contradictio, quæ fingitur nonnullis, DEUM esse unum & trinum, sed saltem *ἐναντίον* i. e. contradictio appatens, quia leges oppositionis legitimæ negliguntur, nominatim lex *ὁμοῦ* i. e. respectu ejusdem. Si DEUS unus esset essentia & trinus essentia, vel unus & trinus simul in personis, tunc forsitan *δι' ἐναντίας* aliquid obtinerent, sed unitas *ὁμοῦ* i. e. essentiam, trinitas *ἐναντίας* i. e. ad personas refertur.

§. 2. Quia verò cardo salutis nostræ vertitur in hoc articulo secundum istud Salvatoris *Job. 17. v. 3. Hæc est vita æterna, ut cognoscant Te solum verum DEUM, & quem misisti JESUM Christum*, ejusdem probationi quadantenus immorabimur.

§. 3. Tria verò nobis hic sunt probanda 1. essentia divini unitas. 2. personarum pluralitas, quæ tamen ternarium numerum non excedit, 3. trium personarum in una essentia divina communitas.

§. 4. Unitas probatur ex *Deut. 6. v. 4. Audi, Israël, Dominus DEUS noster Jehovah unus est. Matth. 19. v. 17. Marcus 10. v. 18. Nemo est bonus, nisi DEUS unus. 1. Cor. 8. v. 6. Nullus est DEVS alius, nisi unus. Nam etsi sint, qui dicantur Dii sive in cælo sive in terra (siquidem Dii multi sunt, & Domini multi) nobis tamen unus est DEVS, Pater, ex quo omnia, & nos in illum, & unus Dominus JESUS Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. Gal. 3.*

¶ Hinc Augustin. *Medit. cap. 30. §. 1. p. 69. eleganter scribit: Deus est unitas personarum pluralitate multiplici, numerabiliter est innumerabilis, ac idcirco mensurabiliter inmensurabilis, et potestabiliter impotestabilis. Et cap. 31. §. 2. p. 73. Tres personæ ita describuntur eleganter: Genitor, genitus, regeneratus. Fons, Flumen, irrigatio. Ab uno fit, per unum, in uno. A quo, per quem, in quo omnia. Vivens, vita, a vivente, viventium vivificator. Ung a se, unum ab uno, unum ab*

DEO.

49

v. 20. Mediator unus non est: DEVS autem unus est. Eph. 4. v. 6. Unus DEVS & Pater omnium.

§. 5. Trinitatem personarum quod attinet, propter controversiam ante aënos non ita plures motam, ex utroque Testamento distinctim eandem probabimus. Formabatur autem controversiæ status hunc in modum: An ex solo Testamento V. absque adminiculo Novi Trinitas personarum deitatis solidè, ita, ut Adversarius convinci queat, probari possit. Quod quidam Academiæ Julæ & quidem magni nominis Doctor negabat: nos cum rectius sentientibus affirmamus. Ubi circa statum hunc controversiæ notamus, collatione Novi Test. ad Vetus mysteriū hoc quidem magis illustrati, sed quod ex solo V. T. probari nequeat, nos inus inficias. Sequeretur etiam Judæos, qui tantum ex V. T. nobiscum disputant, à Christianis super hac Trinitate personarum in unitate divini essentia, convinci nō posse. Conditio de soliditate adjecta, quasi tantum illa probatio esset solida, quæ cōvincatur Adversarius, seq; victum agnoscat, pro non adjecta est habenda. Si enim argumentum non esset solidum, nisi Adversarius convincatur, aut se convictum fateatur, sequitur, nec dissidentes solidè convincere posse Socinianos ex N. T. quia minimè se victos fatentur, nec desinunt oblatrare veritati. Licet etiam aliquis cōvictus sit quoad *λόγον ἔσω* i. e. orationem internam & in conscientia, veritati tamen quoad *λόγον ἔξω* i. e. orationem externam resistere potest, exemplo eorum, qui disputabant cum Stephano. De his *Act. c. 6. v. 10.* dicitur, quod non potuerint resistere Spiritui, qui per Stephanum loquebatur, & tantum *Steph. c. 7. v. 51.* ipsis objicit,

mp. Calix
p. 66 5.

quod semper resistent Spiritui S. Imò se-
queretur, nec Christum, nec Apostolos
convicisse suos Adversarios, quia senten-
tiæ suæ tenaciter inhæserunt. Trinitatem
itaque personarum deitatis probamus ex
V.T. 1. illis locis, ex quibus personarum
pluralitas elicitur, quod adversus Anta-
gonistas unicam duntaxat personam dei-
tatis agnoscere sufficit. Hujusmodi loca
sunt c. 1. Gen. v. 1. כִּרְשִׁית בְּרָא אֱלֹהִים
i.e. *DEVS*, in cujus essentia plures sunt
personæ, creavit, Eodem c. 1. v. 26. *Facia-
mus hominem ad imaginem nostram*; ubi
DEUS non Angelos, sed reliquas deitatis
personas in consilium vocat. Nec enim
Angeli creatores sunt, nec ad Angelorum
imaginem dicimur creati. C. 3. Gen. v. 22.
ubi DEUS post lapsum Protoplastos per
Ironiam, non illusoriam, sed objurgato-
riam sic alloquitur: *Ecce, Adam factus est,
ut unus ex nobis*. Non autem putandum,
DEUM in plurali numero de se loqui
more Magnatum, quia nec in populo Dei
(quod patet exemplo Regum & Magna-
tum, quâdo in scripturis de se loquuntur)
nec affinis populis cognatione linguæ
junctis fuit usitatum, sed est recens inven-
tum politicorum. C. 11. v. 7. ubi personæ
deitatis confusuræ linguas ædificantium
rurrim Babylonicani se invicem hunc in
morem alloquuntur: *Agite, descendamus,
& confundamus linguas eorum*. 2. proba-
mus istis locis, in quibus duarum perso-
narum fit mentio, ut Gen. 19. v. 24. *Pluit
Jehovah de Jehovah* i.e. DEUS Filius de
DEO Patre, quem locum Patres vetu-
tiores adversus Antagonistas Anti-Tri-
nitarios valdè urserunt. Ex. 33. v. 19. 34.
v. 5. *Prædicabat Jehovah de Jehovah* i.e.
Filius de Patre, ut Num. c. 14. v. 17. hæc
prædicatio ipsi DEO adscribitur Dan. 9.

v. 17. *Exaudi nos, Domine, propter Do-
minum*, promissum sc. Messiam Θεάνθρω-
πον. 3. probamus illis locis, ubi trium per-
sonarum fit mentio, ut Ps. 33. v. 6. *Verbo
Domini celi facti sunt, & Spiritu oris ejus
omnis exercitus eorum*. Quæ verbi com-
pendium sunt capitis primi Genes. in quo
DEI, verbi divini, per quod omnia facta
sunt, & Spiritus DEI, vim vitale aquis tri-
buentis, mentio injicitur. Quibus benedi-
ctionem Ecclesiasticam Num. 6. versibus
ultimis, & ἁγίων Angelicum Es. 6. v. 3.
jungimus, quod non tantum à Joh. c. 12. &
Luc. c. 24. πνεῦμα πωσόν v. 25. sed etiam à
Rabbinis de tribus personis deitatis ex-
ponitur. Ita trium personarum deitatis
mentio fit Es. c. 48. v. 16. cum Filius in
plenitudine temporis incarnandus dicit:
Nunc Dominus misit me, & Spiritus ejus.
Etc. 63. vers. 9. 10. ubi DEI, Angeli faciei,
& Spiritus DEI, quem exacerbant in
deserto Judæi, mentio injicitur. 4. pro-
bamus ex illis V.T. locis, in quibus nume-
rus ternarius numerabilis continetur,
quod scilicet nec plures, nec pauciores dei-
tatis personæ sint, quàm tres, quibus no-
men, attributa, opera & cultus divinus
competat. Eam personam, quam nos
Patrem vocamus, verum DEUM esse Ju-
dæi & Sociniani facillè dabunt. Præter
hanc duas esse, Filium scilicet qui propter le-
gationem magnam ad redimendum ge-
nus humanum Angelus dicitur, sed in-
creatus, & Spiritum S. ex seqq. locis est in
aprico. Dari talem Angelum, qui sit in-
creatus, patet ex variis scripturæ locis, in-
primis c. Gen. 22. v. 11. 12. ubi Angelus Do-
mini fidem Abraham probat, eumque lau-
dat, quod non pepercit Filio suo propter
se. Cap. Gen. 48. v. 15. 16. ubi Jacobus ne-
potibus suis ex Josepho Ephraim & Ma-
nasse

nasse benedictionem precatur ab Angelo, cui liberationem ab omni malo adscribit. Exodi c. 3. versiculis pluribus, ubi Angelus habitator rubi nomen *Jehovah* sibi tribuit v. 14. 16. se vocat *DEVM* Abrahæ, Isaaci & Jacobi v. 15. promittit educationem ex *Egypto* in terram *Canaan* v. 17. adscribit sibi miracula in *Egypto* patranda v. 20. Ex. 23. v. 21. ubi de Angelo ductore Israelitarum dicitur, quod nomen *DEI* sit in medio ejus. Numer. 10. v. 35. 36. quando elevabatur arca, super qua Dominus ductor viæ involutus nube quieverat, dicebat Moses: *Surge, Domine, & dissipentur inimici tui.* Quando verò redibat, & quiescebat, Moses in hæc verba erumpebat: *Revertere, Domine, ad multitudinem millium in Israel.* Judic. 13. v. pluribus. Angelus cum Manoha loquens nomen suum dicit esse mirabile, sacrificiis colitur, & pro ipso Deo agnoscitur. Præterea DEO Filius tribuitur, de quo Psal. 2. v. 7. dicitur: *Filius meus es tu, ego hodie i. e. ab æterno* (quia penes DEUM est perpetuum hodie) *genui te.* Prov. 30. v. 4. *Quis mundi fines constituit? Quod ipsi nomen est, & quod nomen filio, si scis?* Hic ipse Filius datus nobis Es. 9. v. 6. vocatur *יְהוֹשֻׁעַ* i. e. *DEVS* fortis. Præterea de Spiritu S. dicitur, quod vim vitalem præbuerit aquis Gen. 1. v. 1. quod exercitus cælorum ab ipso facti sint Psal. 33. v. 6. quod spiraculum hoc omnipotentis *Jehovah* formaverit c. 33. v. 4. quod sit omnipræsens Psal. 139. v. 6. quod nos regeneret ac renovet Ps. 51. v. 12. quod nos ducat in semita recta Psal. 143. v. 11. quod exacerbatu fuerit ab Israelitis in deserto Es. 63. v. 10. Quod tamen in *Pentateucho* Moisaica passim & Psal. 95. v. 9. de vero DEO dicitur. In resp. πὸς ἄν-

θρώπων Judæis etiam Rabbinos veteres, quando *יהוה* Es. 6. de DEO Patre, Filio ac Spir. S. exponunt, quando trium facierum, trium coronatum, trium basium mundi mentionem faciunt, opponere possemus, sed quia in locis his aphoristicis brevitati studemus & id alibi præstitimus, ad fundamenta N. T. accessum facimus.

§. 6. Unitatem essentiae divinae & hoc Testamentum inculcat, præsertim in 1. Cor. 8. v. 5. *Etiamsi sint, qui dicantur Dii sive in cælo, sive in terra (quemadmodum sunt Dii multi & Domini multi) nobis tamen unus est DEVS,* nihilominus in hac unica essentia divina tres esse personas dicit. Evidenter hoc admodum fit 1. Joh. 5. v. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum & Spir. S. & hi tres unum sunt:* ut & cum Christus eandem sibi & Patri manum tribuens dicit Joh. 10. v. 30. *Ego, & Pater unum sumus.* Ita multoties in operibus divinis, ut in incarnationis opere Luca 1. v. 35. in baptismo Johannis Matth. 3. v. 16. 17. in baptismo nostro Matth. 28. v. 19. conjunguntur.

§. 7. Præterea numerus numerabilis Solis quasi radiis scriptus ibidem conspicitur. V. g. Cum filius vocatur *verus DEVS* 1. Joh. 5. v. 20. ut *simus in Filio ejus* *IESV CHRISTO:* hic est *verus DEVS* & *vita æterna:* cum vocatur *magnus DEVS* Tit. 2. v. 13. expectantes beatam spem & apparitionem gloriosam *magni DEI, & Salvatoris nostri* *IESV CHRISTI:* ubi sub uno articulo *DEVS magnus & Salvator noster* *IESVS* Christus ponuntur; nec non in ipsa illa gloriosa soli Christo in scripturis N. T. passim attribuitur: cum *DEVS* in

*secula benedictus vocatur Roman. 9. v. 5. Christus ex Patribus secundum carnem, qui est super omnia DEVS benedictus in secula: cum DEVS altissimus vocatur Luca 1. v. 76. Tu puer, Johannes Baptista, Propheta vocaberis altissimi: praebis enim ante faciem Domini, parare vias ejus: ubi nervus collectionis in particula 3^a latet, quâ ratio redditur, cur Johannes Propheta dicendus sit altissimi, quia nimirum viam paraturus est Domino. Sed Christo viam paravit. Huc referri possunt loca, in quibus DEUS absolutè vocatur, ut Ioh. 1. v. 1. & DEVS erat verbum, scil. quod caro factum est. Ioh. 20. v. 28. cum Thomas ad Christum inquit: Domine mi, & DEVS mi. Hebr. 1. v. 9. ex Psal. 45. Propterea unxit te, DEVS, DEVS tuus oleo letitiae praefortibus tuis. Nec minus loca, in quibus nomen DEI subiecti loco ponitur, ut Act. 20. v. 28. DEVS proprio sanguine redemit Ecclesiam suam, ut & 1. Tim. 3. v. ult. Omnium confessione magnum est pietatis mysterium, DEVS manifestatus est in carne. Ulterius vocatur Filius DEI *μωϋρηνς* i.e. unigenitus, & sic per naturam, non adoptionem DEUS Ioh. 1. v. 18. Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui est in sinu Patris ipse nobis enarravit. Iohan. 3. v. 16. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: Vocatur Filius DEI proprius Rom. 8. v. 31. 32. Si Deus pro nobis, quis contra nos, qui ne proprio quidem Filio pepercit: qui Deum habeat *ἰδιον Πατέρα* i.e. proprium Patrem Ioh. 5. v. 18. Unde Judæi colligunt, quod se DEO faciat æqualem: vocatur Filius DEI absolutè passim in scripturis, quam ob causam, tanquam blasphemus, morti*

addicitur Matth. 26. v. 63, 65, 66. Ioh. 19. v. 7. Ex attributis divinis aternitas Ioh. 1. v. 1. In principio erat verbum, Apoc. 1. v. 11. Ego sum *α & ω*, primus & novissimus, omnipotentia Philipp. 3. v. 21. Christus transfigurabit corpus nostrum humile, ut conforme reddat corpori suo glorioso secundum efficaciam, quâ sibi subicere potest omnia; omniscientia Ioh. 2. v. ult. ipse sciebat, quid esset in homine, Apoc. 2. v. 23. & scient omnes Ecclesia, quod ego sim ille, scrutans renes & corda, nec non alia passim ipsi tribuuntur. Ex operibus divinis creatio Filio tribuitur Ioh. 1. v. 3. Omnia per ipsum facta sunt, & sine eo factum est nihil, quod factum est. Ubi particula PER non instrumentum, sed ordinem agendi denotat. Ne verò quis excipiat de creatione, vel reparatione sermonem esse, Paulus ad Coloss. c. 1. v. 16. dicit: Per illum creata sunt omnia, quæ in caelis sunt, quæ in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per illum & in illum creata sunt. Clariùs adhuc creationis opus ipsi tribuitur, quando autor epistolæ ad Hebr. c. 1. v. 10. verba Psalmi 102. de ipso dicta pronunciat: Tu in initio, DOMINE fundamenta terra fecisti, & opera manuum tuarum sunt caeli. Sustentationis & gubernationis divinæ opus ipsi tribuitur hoc ipso c. 1. epistola ad Hebr. v. 3. Verbo potentia sua portat omnia Coloss. 1. v. 17. Per illum consistunt omnia Ioh. 5. v. 17. Pater meus adhuc operatur, & ego operor. De cultu divino testimonio passim occurrunt, ut cum dicitur adoratus à Magis Matth. 2. v. 11. à leproso Matth. 8. v. 2. à discipulis Luca 24. v. 52. Quod tamen Christus non prohibuit, ut fecerunt Apostoli Act. 14. v. 15. Cum

p. 70

Cum fides in ipsum collocanda dicitur *Ioh. 14. v. 1. In DEVM creditis, & in me credite. c. 11. v. 25. & 26. Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, vivet, etiam si mortuus fuerit: & omnis, qui vivit & credit in me, non morietur in aeternum.*

§. 8. Spiritum S. etiam inter personas deitatis esse numerabilem, non tantum ex iis locis, ubi cum Patre & Filio conjungitur (vide supra), sed etiam, ubi expresse DEUS vocatur, & omnia, quae personae competunt, ipsi tribuuntur, luce meridiana clarius elucescit. DEUS expresse vocatur. *5. Act. v. 3. & 4.* cum Petrus Ananiam sic alloquitur: *Cur Satanas implevit cor tuum, ut mentireris Spiritui S. non mentitus es hominibus, sed DEO.* Sic nomen DEI & Spiritus S. permutatim in scripturis hinc inde sumuntur. V.g. Cum Zacharias Johannis Baptistae Patris in cantico suo dicit *Luc. 1. v. 68. & 70. Dominum DEVM Israel locutum esse per os sanctorum, qui à seculo sunt, Prophetarum suorum*, id alibi exponitur de Spiritu S. v.g. cum Lucas verba Pauli recitans inquit *Act. 28. v. 25. Bene Spiritus S. locutus est per Esaiam Prophetam ad Patres nostros. Sic Act. 1. v. 16. Petrus inquit: Oportuit impleri scripturam hanc, quam praedixit Spiritus S. per os David. Sic idem c. 1. epistole posterioris vers. ult. Non voluntate hominis allata est olim prophetia, sed à Spiritu S. impulsu locuti sunt sancti DEI homines.* Spiritui S. regimen Ecclesiae adscribitur, cum *Act. 20. v. 28.* ad Presbyteros Ephesinae Ecclesiae dicitur: *Attendite vobis & cuncto gregi, in quo Spiritus S. vos posuit Episcopos ad pascendum Ecclesiam DEI, quam sanguine proprio acquisivit.*

Sic *Act. 13. v. 2.* Spiritus S. inquit: *Segregate mihi Barnabam & Saulum, in opus, ad quod accersivi eos.* Spiritui S. regeneratio & renovatio nostra adscribitur, ut *Ioh. 3. v. 5. Nisi quis natus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum DEI.* Ad *Tit. c. 3. v. 5.* baptisimus lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus S. dicitur. *1. Cor. 3. v. 16.* ipsi templum tribuitur: *An nescitis, quod templum DEI sitis, & Spiritus DEI habitet in vobis.* Ut & *1. Cor. 6. v. 19. An nescitis, quod corpus vestrum templum sit habitantis in vobis Spiritus S.* Unde, quod cultus adorationis ipsi competat, per bonam consequentiam inferri potest.

§. 9. Sed, quia Sociniani concedunt, Spiritum S. esse *θεῖον* i.e. divinum quid, motum & agitationem in cordibus, non *ὁ θεός* i.e. DEVM ipsum & veram deitatis personam, *καὶ ὁ θεός* ipsius etiam probanda est. Probatum illa ex nominibus & officiis personae, cum Paracletus, & quidem alius à Filio, dicitur *Ioh. 14. v. 16.* cum mundum de peccato, de iustitia & de iudicio dicitur arguere. *c. 16. v. 3.* cum Christum glorificare *ibidem v. 14.* cum profunda deitatis scrutari dicitur *1. Cor. 2. v. 10.* Probatum illa ex distinctis symbolis, in quibus apparuit. Cum enim in Jordane, quando Christus baptizabatur, tota S. S. Trinitas apparuit, & Pater voce caelitus delatâ, Filius corpore, Spiritus S. in specie columbae se manifestavit juxta versiculum: *Voce Pater, Natus corpore, Flamen ave* se manifestarunt. *Matth. 3. v. 16.* jam verò *θεός*, motus & agitatio in cordibus nostris visibili specie aliquâ se non manifestat. Sic in forma linguarum ignearum i.e. flammarum in festo Pentecostes apparuit. *Act. 2.*

v. 4. Probatur ex eo, quod in ipsius nomine, non secus ac Patris & Filii baptizemur, *Matth. 28. v. 19. Euntes docete omnes gentes, baptizate eos in nomine Patris, Filii & Spiritus S.* Sic inter testes cœlestes tanquam tertius testis distinctè ponitur *1. Ioh. 5. v. 7. Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus S. & hi tres unum sunt.* Probatur ex distinctione Spiritus S. & donorum ipsius *1. Cor. 12. v. 4. distinctiones donorum sunt sed unus est Spiritus.* Et *v. 11. Hac omnia operatur unus idemq; Spiritus distribuens unicuiq; prout vult.* Probatur ex eo, quod Spiritus S. tanquam agens libertimum introducatur *Act. 2. v. 4. Loquebantur variis linguis, prout Spiritus ipsis dabat eloqui. Act. 13. v. 25. Visum est Spiritui S. & nobis. 1. Cor. 12. vers. 11. Spiritus S. dona sua distribuit, prout vult.* Probatur ex permutatione generum, cum *Ioh. 16. v. 13. dicitur: πνεῦμα, ἐκ ἐν ὧ, Eph. 1. v. 14. πνεῦμα, ὅς, quæ Personalitatem ipsius arguit.*

§. 10. *Usus aphorismi huius didacticus est, ut veram de DEO doctrinam in Articulo maximè fundamentali rectè teneamus, & sicut baptizamur; ita rectè credamus in DEUM Patrem, Filium & Spiritum S.* Qui enim Filium non habet, Patrem non habet: & qui Spiritum Christi non habet, non est ejus *Rom. 8. v. 9.* Nullatenus itaque præfatio & clausula Symboli Athanasiani pro superba, ut Remonstrantes volunt, est habenda: *Quicumq; vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat catholicam fidem, quam nisi quisq; integram servaverit, absq; dubio in æternum peribit.*

§. 11. *Usus in polemicis esse potest*

adversus Arianos, Photinianos veteres & recentiores, & quosvis Anti-Trinitarios, Judæos & Turcas, nec non Sabellianos. Ubi ὁς ἐν πατρίδι καὶ πατρὶ καὶ υἱῷ *notamus, convenire partim Arianos cum Photinianis, partim dissentire.* Conveniunt in abneganda deitate Christi: dissentiunt in hoc, quod Ariani, nomen habentes ab Ario Ecclesiæ Alexandrinæ Presbytero duas quidem in Christo naturas admittunt. Sed, quam nos deitatis personam, secundam agnoscimus, illi creaturarum omnium primam, per quam tanquam instrumentum DEUS creaturas reliquas condiderit, faciant: Photiniani autem à Photino Sirmienſis Ecclesiæ in Pannonia inferiori Ministro nomen habentes, cum quibus eodem socco saltant Sociniani, naturam duntaxat humanam in Christo agnoscunt, quem etiam, priusquam ex Maria duxisset ortum, prorsus non existisse statuunt. Quod Judæi & Turcæ Trinitatem personarum in unitate divinæ essentiæ negent, notius est, quàm ut filo prolixiore diducendum sit impræsentiarum. Sabellius, qui vixit in seculo corrente tertio, quamvis DEUM Patrem, Filium & Spiritum S. verum DEUM statuerit, eosdem tamen nominibus saltem, ἑξ ἑσ & modo differre docuit, v.g. cum cælum & terram condidit, Patrem, cum genus humanum redemit, Filium, cum regenerat & renovat, Spiritum S. dici voluit, quæ omnia refutantur in superioribus, & aphorismis sequentibus ulterius illustrantur.

APHORISMUS XVI.

In deitate est ὁ αὐτὸς καὶ ὁ αὐτὸς, non ὁ αὐτὸς καὶ ὁ αὐτὸς.

SCHO.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Probatur hoc ipsum in terminis, cum Pater alius à Filio dicitur *Ioh. 5. v. 32.* Alius est, qui testimonium perhibet de me, cum dubio procul ad testimonium *Matth. 3. v. 17.* cœlitus delatum respectus habetur. Et cum Spiritus S. alius Paracletus à Filio dicitur, *Ioh. 14. vers. 16.* Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis. Probatur, quod non tantum distinctè ponantur, tum alibi, tum in formula baptismi nostri *Matth. 28. v. penult.* sed etiam *τῆς* dicantur *1. Iohan. 5. v. 7.* Probatur, quod nunquam unus, sed unum dicitur, ut cum Christus *Ioh. 10. v. 30.* inquit: Ego & Pater unum sumus. Quod dicit unum, liberat te ab Ario, quod dicit sumus, liberat te à Sabellio. Et cum *1. Iohan. 5. v. 7.* Tres testes cœlestes unum, non unus esse dicuntur. Christus autem *θεῶν θεων*, de quo divina & humana prædicantur, passim in scripturis dicitur *εἷς* i. e. unus, ut *1. Tim. 2. v. 5.* *Εἷς μεσότης* i. e. unus Mediator est inter *DEVM* & homines. *1. Cor. 8. v. 6.* nobis unus est Dominus *IESVS CHRISTVS* Roman. 5. v. 19. Per unius obedientiam iusti constituuntur multi. Ex quibus patet, quod Pater & Filius, uti etiam Filius & Spiritus S. idem sint in neutro, non masculino genere. Differunt autem personæ invicem realiter quidem, sed non essentialiter: ab essentia verò personæ differunt *τῷ λόγῳ*. Cum autem una persona in alia esse dicitur, v. g. quando Salvator *Ioh. 14. v. 10.* ad Philippum dicit: Non credis, quod ego in Patre sum, & Pater

DE DEO.

55

in me? minime de *μεταρρύσιν* id est intelligendum, ac si una persona sit in altera, sicut vas in vase, quæ veterum quorundam hereticorum fuit sententia, sed de *περιχώρησι* i. e. permeatione intima. Est autē *περιχώρησις* vel essentialis inter personas sacrosanctæ Trinitatis, de qua citato loco, vel personalis inter duas naturas in Christo, de qua Paulus *2. Cor. 5. v. 19.* *DEVS* erat in Christo mundum reconcilians sibi, ut & *Coloss. 2. v. 9.* In ipso, scil. secundum humanam naturam incarnato, tota plenitudo deitatis habitat. Alias *τῷ ὅτι ὁ πᾶς ἔως* i. e. modo existendi, vel caractere personali S. S. Trinitatis personæ inter se differre dicuntur.

§. 2. *V*sus aphorismi huius in didacticis esse potest, ut fidem Catholicam tenentes unum *DEVM* in Trinitate & Trinitatem in unitate veneremur, neq. confundentes personas, neq. substantiam separantes. Alia enim persona est Pater, alia Filius, alia Spiritus S. sed Patris & Filii & Spiritus S. una est divinitas, equalis gloria coeterna Majestas.

§. 3. *V*sus in Polemicis esse potest adversus Sabellianos, qui personas deitatis saltem nominibus & *ἑξῆς* quādam differre dicebant, prout historio unus numero diversas personas in comœdia sustinet: item adversus recentiores quosdam (Keckermannum) qui personas deitatis modaliter saltem differre volunt.

APHORISMUS XVII.

Filius Patri non tantum *ὁμοιότητι* i. e. similis essentia, sed & *ὁμοουσιότητι* i. e. ejusdem essentia est cum Patre.

SCHOLIO-

SCHOLIUM.

§. I.

Sensus. Ariani concedebant quidem Filium Patri esse ὁμοϊόν i. e. similis essentiae, negabant autem esse ὁμοούσιον i. e. ejusdem cum Patre essentiae, vel consubstantialem Patri, quod orthodoxi affirmabant, ita, ut super unica literula *Jod* tanta controversia suscepta videretur. Verum sub hac unica literula, omnium minutissima, latent res magnae, ipsa scil. p-74 deitatis Filii vel affirmatio, vel negatio. Simile siquidem non est idem, secundum dictum: Πάν ὁμοιον ἀνὸμοιον i. e. omne simile est etiam dissimile. Eunomiani verò ne quidem ὁμοιον i. e. similem Patri Filium asseriebant. Unde Eunomii ἀνὸμοιος dicti fuerunt.

§. 2. Ὁμοολαν verò Patris & Filii probamus 1. ex nominibus Filio in Scripturis S. attributis, quòd *verus DEVS* 1. *Ioh. 5. v. 20. magnus DEVS* Tit. 2. v. 13. *DEVS* in secula benedictus Rom. 9. v. 5. *Deus altissimus* Luca 1. v. 76. *Deus fortis* Es. 9. v. 6. item quòd *unigenitus* *Iohan. 1. v. 18.* & *proprius Dei Filius* Rom. 8. v. 32. qui *DEVM* habeat ἰδίον Πατέρα i. e. proprium Patrem, *Ioh. 5. v. 18.* & Filius *DEI* absolutè passim in scripturis dicatur. 2. quòd eadem attributa, praesertim aternitas, ipsi attribuantur, ut *Apo. 1. v. 17.* *Ego sum primus & novissimus*, quibus verbis *verus DEVS* ab omnibus creaturis discernitur *Es. 44. v. 6. Iohan. 1. v. 1.* *Εν ἀρχῇ* i. e. in initio, cum creaturae inciperent, jam erat ὁ λόγος. Lutherus *verexōs* non reddidit *Am Anfang* / sicut *versiculum primum capitis primi Gen.* Sed *Im Anfang* ne quis unà cum creaturis λόγον coepisse,

persuasum habeat, Nervus enim collectionis in verbo *ἦν* i. e. erat latet. Cum scil. in principio creaturae fierent, jam erat ὁ λόγος. Et si quis quæreretur, ubi erat igitur, *Iohannes* dicit, *erat apud DEVM*, imò ipse *DEVS* erat, per quem omnia facta sunt. Corruit itaque exceptio Ariani, quam semper in ore habebat *ἦν πότε, ὅταν & ἦν* i. e. erat aliquando, vel tempus, vel quaecunq̄ durationis species, *quando non erat.* 3. ex aequalitate operum v. gr. cum Christus *Iohan. 5. v. 17.* *Pater meus hucusq̄ operatur, & ego operor.* vers. 19. *Quaecunq̄ Pater facit, τὰὐτα* i. e. eadem pariter facit Filius, v. 23. ut omnes honorent Filium, sicut & Patrem. De creationis opere vide supra. 4. quòd Patri sit aequalis. Ex dictis enim Judaei rectè colligebant, quòd Patri se faciat aequalem. Tantum autem abest, ut hoc ipsum Christus confutet, ut in sequentibus etiam magis confirmet. *Phil. 2. v. 6.* dicitur, quòd *Christus in forma DEI* existens ἐχ' ἀπαυμὸν i. e. non rapinam vel sibi proprium τὸ εἶναι ἰσα πρὸς Θεὸν scil. τὰ ἑαυτοῦ, divina, ἀνθρώποις, sciverit. Sic *Iohan. 16. v. 15.* dicit: *Omnia, quaecunque Pater habet, mea sunt.* Ita *χαράτης τῆς ὑποστάσεως Θεῶ* dicitur *Hebr. 1. v. 3.* quòd unum cum Patre dicatur v. g. *Ioh. 10. v. 30.* cum sibi & Patri manum eandem tribuens inquit: *Ego & Pater unum sumus.* 1. *Ioh. 5. v. 7.* Cum Pater, Verbum & Spiritus S. unum esse dicuntur. Quare vox consubstantialis, quae pomum Eridos in Concilio Nicæno erat, Symbolo Nicæno fuit inserta: Credo in unum DEUM JESUM Christum, Filium DEI unigenitum, & ex Patre natum ante omnia secula, DEUM de DEO, lumen de p. 75

Q. An Filius soli Patri, an v. n. Spiritui S. ὁμοούσιος dicendo sit? R. lumine, aff. posterio: q̄a una eademq̄ numero eā & Patri, Filij & Spiritui S. Vid. deat. Cataph. p. Videt. h. Gratia statueret Dorsch. Syn. in 1. Epist. Ioh. cap. 1. v. 10. p. 9.

lumine, DEUM verum de DEO vero : genitum, non factum, consubstantiali Patri.

§. 3. *U*sus aphorismi hujus in didacticis itidem esse potest, ut unitatem in trinitate, & trinitatem in unitate veneremur, & de Filii deitate certiores simus.

§. 4. *I*n polemicis adversus omnes Antitrinitarios tam veteres, quam recentiores, ut & Fanaticos, qui solum Patrem summum DEUM faciunt, ipsique Filium, velut in systemate mundano sphaeram inferiorem superiori subordinant.

APHORISMUS XVIII.

Filius *τὸς* i. e. ordine, non tempore, non dignitate, non potestate posterior est Patre.

SCHOLIUM.

§. 1.

*S*ensus. Hic ante omnia tenendum, Primitatem esse vel essentiali, vel personalem. Primitatem essentiali omnes personae deitatis primae sunt, ita, ut quilibet ex Esa. cap. 44. vers. 6. de se dicere queat: Ego sum primus & novissimus, quod Filius facit Apoc. c. 1. v. 17. Inde fit, ut interdum Filius, interdum Spiritus S. Patri praemittatur, ut 2. Cor. 13. v. 13. Gratia Domini nostri IESU Christi, & charitas DEI, & communio Spiritus S. sit vobiscum omnibus, Amen. Luc. 1. v. 35. Spiritus S. supervenit in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Apocal. 1. v. 4. Gratia vobis & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est, & à septem Spiritibus (i. e. Spiritu S. qui propter dona sua varia septiformis munere dicitur, sacrum septenarium scilicet donorum suorum

fidelibus communicans) qui sunt in conspectu throni ejus, & à IESU Christo, qui est testis fidelis.

§. 2. Primitate personali Pater est prima persona deitatis, quia fons est deitatis, essentiam suam ab alio communicatam non habens: Filius est secunda persona deitatis, quia per aeternam generationem essentiam suam communicatam habet à Patre: Spiritus S. tertia persona essentiam suam à Patre & Filio per aeternam processione[m] communicatam habens. Et hic ordo in formula baptismi nostri observatur Matth. 28. v. 19. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, Filii & Spiritus S. Ut etiam 1. Iohan. 5. v. 7. Tres sunt, qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum & Spiritus S. Quod autem Filius Patre non sit posterior tempore, liquet ex p. 76 eo, quia tempus ante conditum mundum non fuit. Nec enim mobile, nec motus, nec numeratio motus tunc exitit. Fuit autem Filius, ipse Creator, ab aeterno apud Patrem Iohan. 1. v. 1. Non dignitate posterior est, quia Filium omnes honorare debent, sicut Patrem, Iohan. 5. v. 23. Non potestate, quia quaecumque facit Pater, eadem pariter facit Filius, Ioh. 5. v. 19. Unde manam eandem sibi & Patri tribuit Ioh. 10. v. 28. 29.

§. 3. *U*sus aphorismi hujus in didacticis esse potest, ut fundamentum cognoscamus, cur Pater prima, Filius secunda, Spiritus S. tertia deitatis persona dicatur, item cur Pater per Filium in Spiritu S. dicatur operari, & ita quomodo intelligendus sit locus Apostoli Rom. 11. v. 35. Ex illo, & per illum, & in illum sunt omnia, nihilominus omnes tres personae sibi consubstantiales, coaeternae sint

H

& co-

Sed apud DEUM est perpetuum hodie, cui mille anni sunt, ut dies unus *Psal. 90. v. 5. 2. Petri 3. v. 8. 2.* quia DEUS & ipsius opera non mensurantur temporum intervallis. 3. quia *Michaeas. v. 2.* hæc generatio in plurali numero vocatur *ἐκπορεύσεις* i.e. egressiones ad innuendam istius perfectionem, quod non successivè per partes, aut gradus fiat. 4. quia Spiritus S. tunc, cum Christus de Paracleto promisso discipulos suos instrueret, in præsentia de Spiritus S. processione loquebatur *Iohan. 15. v. 26.* Non dicebat, qui processit, sed qui procedit, à Patre. Sic *Apocal. 22. v. 1.* dicitur: *Os tendit mihi purum fluvium aqua vivæ, ἐκπορεύων* i.e. procedentem de sede DEI & agni. Hæc generatio hyperphysica cum Physica tantum commune habet, quod utraque sit essentia communicatio. Absit itaque blasphemia Turcarum, qui causas socias, matrem & scæmipam, ad hanc generationem requiri volunt. Nos generationem hanc asserentes ductum scripturæ sequimur, quæ præter revelationem paternitatis & filiationis, toties Filium unigenitum à Patre vocat, & de ipsa generatione nos instruit. Non autem propter hanc generationem Filius, aut propter processionem Spiritus S. principiatum, sed principium de principio, DEUS verus de DEO vero sunt vocandi.

§. 2. *Usus* aphorismi hujus in didacticis esse potest, ut de characteristicis proprietatibus personarum deitatis, quantum quidem scriptura nobis præluet, rectè sentiamus.

§. 3. In polemicis adversus Socinianos & Antitrinitarios alios, qui gene-

rationem Filii modis omnibus impugnantes successivam perfectionem in deitate locum non habentem objiciunt.

APHORISMUS XXI.

Spiritus S. à Patre & Filio immanenter emanat, & emananter immanet.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensu. Cum vocabulum *ἐκπορεύω* sit metaphoricum vel à rivo promanante ex suo fonte (quorsum verba *cap. 22. Apocal. v. 1.* jam modò adducta respicere videntur) vel radiis Solaribus è corpore ipsius lucido effluentibus (quorsum verba *Dan. 7. v. 10.* indicem digitum intendere videntur) desumptum, & ut à missione tanquam opere ad extra processio distinguatur, aphorismus hunc secuti ductum quorundam Theologorum terminis his formare voluimus. Sunt enim opera Trinitatis vel ad intra, vel ad extra. Opera Trinitatis ad intra sunt, quæ terminantur intra sinum deitatis, ut gignere, gigni, procedere: ad extra sunt, quæ foras progrediuntur ad creaturas, ut creare, redimere, sanctificare. Quibus opera interna, ut decreta, quæ tamen non terminantur intra sinum deitatis, sed per executionem suam foras progrediuntur ad creaturas. Per emanationem in aphorismo non intelligimus tale opus, quod foras ad creaturas emanet, sed ipsam processionem, opus ad intra, quam etiam ob causam per adverbium immanenter determinatur.

§. 2. Quod Spiritus S. à Patre procedat i.e. essentiam suam communica-

tam habeat, inter Ecclesias orientales & occidentales (nec enim hæreticos Antitrinitarios, per profectionem hanc missionem intelligentes attendimus) extra controversiam positum est. Extat enim locus clarissimus *Ioh. 15. v. 26. Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus veritatis, qui à Patre procedit &c.* Sed quòd etiam à Filio procedat, orientales Ecclesie citiores negarunt, & adhuc negant. Ufurparunt quidam phrasin, quòd Spiritus S. à Patre per Filium procedat, sed non eo sensu, ac si Filius minor sit Patre, sed ut tantum ordinem inter personas deitatis innuerent, &, quòd Filius per æternam generationem à Patre in hoc spirandi consortium venerit, docerent. In seculo v. quinto Theodoretus Cyri Episcopus ferventior adhuc & junior, cum anathematismum Cyrilli nonum, quòd Spiritus S. sit proprius CHRISTI Spiritus, obelisco notaret, primus negando profectionem Spiritus S. à Filio vinculum unitatis inter Ecclesias orientales & occidentales solvisse creditur. Progressu temporis ab occidentalibus articulo tertio Symboli Nicæni, vel Constantinopolitani, & quidem verbis istis, *qui à Patre procedit*, addita fuerunt, *Filius*, super quo additamento miris modis in Concilio Florentino ante 200. annos, & quod excurrit, fuit disceptatum, ubi occidentales orientalibus vicissim exclusivam, quòd Spiritus S. à solo Patre procedat, objecerunt, donec tandem orientales, ut auxilia contra Turcam facilius impetrarent, in sententiam occidentalium concesserunt. Sed postquam domum redi-
ces facti fuerunt, improbantibus hanc

concessionem plerisque, ad vomitum redierunt. Ob negationem hanc profectionis Spiritus S. à Filio, Græci S.S. Trinitatem aliter, quàm Latini pingere dicuntur, in medio Patrem, à dextris Filium, à sinistris Spiritum S. collocantes.

§. 3. Quantumvis autem secundum literam, quoad toridem verba & apices, in scripturis non extet, Spiritum S. à Filio procedere, per bonam consequentiam probatur 1. ex eo, quòd Spiritus S. *Spiritus Christi*, *Roman. 8. v. 9. Spiritus oris Christi*, *2. Thessal. 2. vers. 8. Spiritus labiorum Christi*, *Esai. 11. vers. 4.* dicatur, nullam certè aliam ob causam, quàm quòd essentiam suam à Filio quoque communicatam habeat. 2. quòd *Spiritus S. à Filio mittatur Ioh. 15. v. 26. & passim.* Ideò verò Pater à nemine mittitur, quia est *ἀγνῶν* & Filius à solo Patre mittitur, quia per æternam generationem essentiam suam à solo Patre communicatam habet: Spiritus S. à Patre & Filio mittitur, quia per æternam profectionem à Patre simul & Filio essentiam suam communicatam habet. 3. quòd Spiritum S. per afflatum discipulis suis communicaverit *Iohan. 20. vers. 22.* ubi non cogitandum afflatum istum fuisse ipsum Spiritum S. sed ejusdem vehiculum, & æternæ spirationis symbolum. Nec enim citato loco verbum *πνέω* i.e. *spiro* (unde *τὸ πνέμα* i.e. *Spiritus* derivatur) sed *φυσάω* i.e. *insflo* adhibetur. 4. quia fluvius aquæ vivæ crystallinus de sede DEI & agni promanare dicitur, *Apocal. 22. v. 1.* ubi verbum *ἐκπορεύειν* i.e. *procedere*, quo personalis character Spiritus S. exprimitur, à Johanne usurpatur. Per fluvium autem aquæ vivæ Spiritum S. innui, probatur ex *Ioh. 7. v. 38.*

v. 38. 39. *Qui credit in me, sicut dixit scriptura, flumina de ventre eius fluent aqua viva. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in ipsum.* Ubi *παραφραδὶκῶς* phrasin illam, *flumina de ventre eius fluent*, explicamus, quod nimirum talis plenus futurus sit donis Spiritus S. usque ad redundantiam i. e. dona sit accepturus, non quæ sibi duntaxat sufficiant, sed quibus etiam servire queat aliis, metaphorâ desumptâ à rebus poculentis, quibus venter ita distenditur, ut excernere cogatur. 5. quia *רוח אלהים* i. e. Spiritus DEI in plurali numero dicitur, *Genes. 1. v. 2.* 6. quod ea, quæ Pater habeat, Filii sint, exceptâ relatione paternitatis, & quod Spiritus S. de CHRISTO sit accepturus, *Iohan. 16. v. 15.* 7. quod nulla ratio dari posset, cur Pater sit prima, Filius secunda, Spiritus S. tertia deitatis persona, si processio Spiritus S. à Filio negetur. 8. quod nulla ratio esset inter Filium & Spiritum S. Pater haberet suum Filium, Filius suum Patrem: Pater haberet Spiritum S. & Spiritus S. Patrem: inter Filium autem & Spiritum S. nulla esset cognatio, sed ingens hiatus. Nec obstat, quod duæ spirationes, & consequenter duo Spiritus inde dari dicantur, cum Pater & Filius, ut unum *συνδυαζόμενον*, ut unum os, & unus fons in hoc spirationis opere considerentur. Fovent quidem nonnulli peculiarem hanc opinionem, per processionem Græcos non tantum communicationem essentiae divinæ, quam Spiritui S. à Filio factam fuisse, concedant, sed communicationem essentiae divinæ ab eo factam, qui fons sit deitatis, intelligere, vi metaphorâ à fonte deductâ. Jam cum Pater tantum

sit fons deitatis, ab ipso Solo Spiritum S. procedere. Verum cum super hac controversia de processione Spiritus S. à Filio tot habita fuerint colloquia, sequitur, neutram partem intellexisse alteram, sed sibi tures finxisse, quas impugnarent. Nec obstat metaphora, quæ desumitur à fonte, cum Pater & Filius, ut unus fons, in hac processione considerentur, secundum dictum *Apocal. 22. v. 1.* ubi *fluvius crystallinus aqua viva de sede DEI & Agni procedere dicitur.*

§. 4. Latius autem hic progrediuntur, qui Spiritum S. etiam à CHRISTO secundum humanam naturam procedere statuunt, ut M. Godofredus Besoldus, Pastor quondam Scholæ Portensis. De missione quidem, in cuius consortium Christus secundum humanam naturam per unionem personalem venit, concedi potest, non autem de processione. Cum enim processio sit essentiae communicatio, & Spiritus S. *ἑτερόσις* ab humana natura, processio etiam sit æterna, humana CHRISTI natura in tempore cœperit, quomodo Spiritus S. à CHRISTO secundum humanam naturam procedet?

§. 5. Usus aphorismi hujus in didacticis esse potest, ut prælucente scripturâ, personas deitatis per suas characteristics proprietates commodius discernere queamus.

§. 6. In polemicis adversus Socinianos, per processionem missionem in tempore factam intelligentes; adversus Græcos processionem Spiritus S. à Filio negantes; & adversus dictum Besoldum, processionem Spiritus S. à Christo secundum humanam quoque naturam fac-

Etiam asserentem, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XXII.

Quid sit nasci, quid processus, me nescire sum professus.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Differre generationem Filii & processionem Spir. S. scripturâ duce ac luce, informamur, quomodo autem differant, in hac caligine ignoramus. Quod differant, vel exinde patet, quia Filius passim inscripturis unigenitus DEI Filius vocatur. Si unigenitus, Spiritus S. DEI Filius vocari nequit, & per consequens generatio & processio differunt. Addo, quod Spiritus S. propter processionem à Filio Patris nepos dici posset, nisi generatio & processio differrent. Aliis etiam terminis Scriptura processionem Spir. S. generationem Filii & missionem ejusdem ad officium exprimit. Processionem per verbum ἐκπορεύειν *Johan. 15. v. 26. Apocal. 22. vers. 1.* generationem æternam, quando vocem *ἐκπορεύειν* i.e. egressionum adhibet *Mich. 5. v. 2.* per vocem Græcam τῶν ἐξόδων, missionem ad officium per verbum ἐξέρχεται *Johan. c. 16. v. 28. effert.* Solenne nimirum suum & hic scriptura servat, ut rem ipsam dicat, modum reticeat.

§. 2. Usus hujus aphorismi in didacticis esse potest, ne sapiamus supra id, quod scriptum est, *1. Cor. 4. v. 6.* nec abscondita nobis in hac vita investigemus, sed in cœlestem Academiam differamus. Hic ex parte cognoscimus, illuc à facie ad faciem *1. Cor. c. 13. v. 10. 12.*

§. 3. In polemicis adversus Quomodistas, humanæ rationis decempedâ Christianæ religionis agros metientes, & Scrutatores majestatis à gloria opprimendos.

APHORISMUS XXIII. p. 82

Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa, servato tamen ordine.

Joh. v. 17. 19.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Opera Trinitatis ad extra sunt, quæ foras progrediuntur ad creaturas, ut sunt creatio, conservatio, redemptio (quoad initium spectata) sanctificatio. Patri siquidem, Filio & Spiritui Sancto creatio, conservatio, redemptio & sanctificatio nostra, servato tamen ordine, passim in scripturis attribuantur. Patri verò creatio in symbolo Apostolico adscribitur, quia fons est deitatis, à quo Filius & Spiritus Sanctus per æternam generationem & processionem essentiam, & consequenter creandi potentiam acceperunt: Filio redemptio, quia terminativè hæc ipsi competit. Ad initium enim Pater quoque donando Filium Redemptorem generis humani, & Spiritus Sanctus massam illam, ex qua *Ady.* æternus sibi templum erat constructurus, ab omni peccati labe ac tabe purgando, humanam Christi naturam creando, defectum virilis seminis supplendo, Christum secundum humanam naturam ungendo &c. concurrunt. Spiritui Sancto in symbolo dicto sanctificatio adscribitur, quia immediatè hoc opus peragit.

Dat

Dat genitor, meruit Natus, firmatq, salutem

Spiritus, una fides hæc capit, acta probant.

§. 2. *U*sus aphorismi hujus in didacticis esse potest, ut opera Trinitatis ad extra & ad intra rectius cognoscamus & invicem distinguamus, nec non agendi ordinem inter personas deitatis observemus.

§. 3. *I*n polemicis aliquis usus esse potest adversus eos, qui opus incarnationis

mixtum ex opere ad intra & ad extra faciunt. Si propter decretum opus ad intra vocandum esset, etiam creationis & sanctificationis opus hoc nomine venire posset, quia etiam decreta præsupponunt. Addo, quod differant opera ad intra & opera interna (cujusmodi sunt decreta) quia illa terminantur intra sinum deitatis, hæc foras progrediuntur ad creaturas. Ullus etiam aliquis aphorismi hujus esse potest adversus omnes eos, qui personarum æqualitatem negant, & impugnant.

Locus III.

p. 83

De

CHRISTO.

§. 1.

CUM Filius DEI, media sanctæ Trinitatis persona, in plenitudine temporis naturam assumeret humanam, ita, ut in & cum humana natura in consortium Trinitatis evecta constituit unam personam, non immerito tractationem hujus articuli cum præcedente connectimus. Quia verò *ὡς τὸ ὁρθῶς διδάσκειν τοῦ θεοῦ ἐξερᾶζειν τὰ ὀνόματα* i. e. *ad rectè docendum oporteat primum discutere nomina*, præcipua, quibus Salvator noster insignitur, prælibabimus nomina. Sunt illa JESUS & CHRISTUS,

quæ licet permutatim usurpentur vulgò, & sæpius jungantur, ita tamen differunt, quòd illud sit proprium, peculiaris impositionis, quod in circumcisione accepit, & quo distinctus fuit ab aliis individuis, hoc autem appellativum, quod Messiae nomini responderet. Unde summa concionum Apostolicarum, credere JESUM esse CHRISTUM, DEI Filium i. e. credere JESUM Nazarenum, Mariæ Filium esse promissum Messiam, eumque non nudum hominem, sed DEI Filium & consequenter DEUM ipsum. Sic docet *Johannes c. 20.* historię